UNIVERSITY OF ILLINOIS

Programm

des

Herzoglichen Carlsgymnasiums zu Bernburg

Ostern 1869,

womit

zu der öffentlichen Prüfung der Sc[illegible]

am 18. März Vormittags 8 Uhr in der Aula

ergebenst einladet

Dr. Friedrich Günther,
Director und Professor.

Inhalt:

Bernburg.
Druck von L. Reiter.
1869.

Quamvis difficilis et obscura sit quaestio de origine linguae, tamen illud constat, antiquissimis temporibus homines, quorum ingenia nondum satis exculta atque erudita essent, ad rerum naturam et ad res externas omnes intendisse cogitationes, ac quae vocabula res sensibus subiectas significarent, ea primum inventa esse. Verum ubi mentem a sensibus sevocare et ad res, quae cogitatione sola comprehenduntur, traducere ac quotidie aliquid addiscere animoque novas res complecti et percipere coeperunt, fieri non potuit, quin novis rebus nova vocabula parerentur. Naturae autem conveniens erat, cum illa iam nota vocabula propter singularem quandam similitudinem sua sponte animo occurrerent, vetera iam usitata nomina in novas res esse translata. Quo in genere metaphorarum illae omnibus fere linguis communes translationes sunt, quibus corporis partium vocabula in partes formasque terrae solidae transferuntur, velut dorsum, graece ῥάχις, quod eodem sensu, quo germanice Bergrücken usurpatur, deinde vertex, latus, brachium, os, fauces, alia [1]). Jam quae vocabula propria sunt in rerum natura, etiam in res, quae animo concipiuntur, transferebantur. Ex insigni exemplorum copia pauca hoc loco enumerasse satis erit; ut Graecorum nomen ψυχή, ductum a verbo ψύχω, germanice hauchen, θυμός a verbo θύω brausen, animus, graece ἄνεμος, intellegere, proprie inter sive intus legere. Licet quoque comparare et Germanorum verba begreifen, vorstellen et Gallorum apprendre, comprendre. [2]) Ad idem transferendi genus illa notarum rerum vocabula referenda sunt, quae ad res peculiari nomine carentes significandas adhibebantur. Ut Romani elephantos primum in Lucania visos boves Lucas et eorum proboscidem Graeci κέρας, Latini manum nominaverunt. „Necessitate", ut ait Quintilianus inst. orat. 8, 6, 6, „rustici gemmam in vitibus dixere, (quid enim dicerent aliud?)". Hoc idem est genus, quo „indocti quoque ac non sentientes frequenter utuntur" (Quintil. ib. 8, 6, 4), quod Cicero his verbis uberius illustravit de orat. 3, 38, 155: „tertius ille modus transferendi verbi late patet, quem necessitas genuit, inopia coacta et angustiis, post autem iucunditas delectatioque celebravit; nam ut vestis frigoris

---

1) Copiosius de hac re disseruit Lobeckius in dissertationibus de metaphora et de metonymia a Friedlaendero editis. Regimonti 1864. Cf. praeterea elegantissimam commentationem Hensii: poetische Personification in griechischen Dichtungen. Parchim 1864.

2) V. Burmester, über den Einfluss der Metapher auf die Entwicklung der Sprache. Barmen 1863.

depellendi causa reperta primo, post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem, sic verbi translatio instituta est inopiae causa, frequentata delectationis. Nam gemmare vites, luxuriem esse in herbis, laetas segetes etiam rustici dicunt; quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato cum est dictum, inlustrat id, quod intellegi volumus, eius rei, quam alieno verbo posuimus, similitudo. Ergo hae translationes quasi mutuationes sunt, cum quod non habeas, aliunde sumas."

Ceterum omnia huius generis vocabula translata, quae **nativa**[1]), quod paene una cum ipsis rebus nata sunt, nominaverimus, in propriarum metaphorarum numerum referenda non esse perspicuum est. Nam cum saepissime eaedem metaphorae ad easdem res illustrandas adhiberentur, factum est, ut transferendi sensus sensim obscuraretur et evanesceret. Accedit, quod multorum vocabulorum vis propria et primaria difficile cognoscitur, ut totum hoc translationis genus, quam late pateat, in tanta antiquitatis obscuritate plane perspicere non possimus. Quamquam studia grammaticae comparativae quae dicitur multorum verborum veram et propriam significationem, quae occulta erat, aperuisse nemo est qui negaverit.

Ad alterum translationum genus eae referendae sunt, quae consulto ponuntur nec „inopiam indicant, sed orationi splendoris aliquid arcessunt" (Cic. de orat. 3, 39, 156). Est autem hoc praecipuum orationis ornamentum. Haec enim translatio „tamquam stellis quibusdam notat et inluminat orationem" (Cic. ibid. 170); haec est „ita iucunda atque nitida, ut in oratione quamlibet clara proprio tamen lumine eluceat" (Quintil. 8, 6, 5). Rectissime igitur nonnulli viri doctissimi huius generis metaphoras **poëticas** esse nominandas censuerunt. Cuius translationis fontem comparationem esse iam Aristoteles verissime docuit (Rhet. 3, 4, p. 1406[b]): *διαφέρει μικρόν ὅταν μὲν γὰρ εἴπῃ τὸν Ἀχιλλέα ὡς δὲ λέων ἐπόρουσεν εἰκών ἐστιν, ὅταν δὲ λέων ἐπόρουσε, μεταφορά.* Quod ad verbum paene expressit Quintil. inst. or. 8, 6, 8: „in totum metaphora brevior est similitudo, eoque distat, quod illa comparatur rei, quam volumus exprimere, haec pro ipsa re dicitur. Comparatio est, cum dico fecisse quid hominem ut leonem; translatio, cum dico de homine, leo est." Sed orationem altius repetamus.

Constat inter omnes, antiquissimos populos, qui minus mente valerent, ad res ratis illustrandas et sensibus quam maxime subiciendas imagines adhibuisse. Cum igitur aliqua comparatione frequentius uterentur, mirum non est, quod, ubi certae rei mentio facta est, statim notissimae imaginis notio sua sponte animo occurrebat. Hinc, cum totam exsequi comparationem opus non esset, particula simile indicans omitti coepta est. Quo factum est, ut metaphora sola evaderet.

---

1) Simili sensu haec vox usurpatur a Cic. Partit. orat. 5, 16; verba **nativa** ea, quae significata sunt sensu. Cf. Quintil. inst. or. 8, 3, 36. — Alii huic generi aliud nomen dedere. M. Mueller Oxoniensis (V. G. Curtius, Grundzüge der griech. Etymologie I, 49) tales metaphoras **radical**, Burmester l. l. **todte**, G. Curtius l. l. **naive**, Dannehl in dissertatione inaugurali de tropis, Halis Saxonum 1868, **grammaticas** appellat.

Cuius rei illustrissimum exemplum exstat apud Homerum νέφος, quo nomine poëta tum in similitudinibus (Hom. Il. 23, 366, ubi pulvis cum nube comparatur, cf. ib. 4, 275; 5, 525; 11, 305; 16, 364) tum metaphorice, ut multitudinem significaret, usus est. Itaque primum aptissime ad aves (Il. 17, 755: ψαρῶν νέφος ἠὲ κολοιῶν), deinde ad homines (ib. 4, 274: νέφος πεζῶν; 16, 66: κυάνεον Τρώων νέφος) transfertur. Denique νέφος translate dicitur in bello (ib. 17, 243: ἐπεὶ πολέμοιο νέφος περὶ πάντα καλύπτει), in morte (16, 350: θανάτου δὲ μέλαν νέφος ἀμφεκάλυψεν, et 20, 417: νεφέλη δέ μιν ἀμφεκάλυψεν κυανέη), pulcherrime in dolore (17, 591: τόν δ' ἄχεος νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα). Nec praetermittendum videtur κελαινεφής, quod vocabulum saepius ad αἷμα traductum legitur, „quia in cruore quoque apparet quaedam nubecularum similitudo" [1]). Etiam a poëtis posterioris aetatis et lyricis et tragicis νέφος metaphorice positum esse, loci, quos Burmester l. l. collegit, docent.

Sequitur, ut, quid veteres de causis rationibusque metaphorarum statuerint, videamus Sed, cum iam Muetzellius de praeceptis grammaticorum et Graecorum et Latinorum copiosissime et doctissime disseruerit [2]), quae illi omnes docuerunt, ea hoc loco repetere nihil attinet. Accedit quod, quamquam in eo consentiunt omnes, ut vocabula ea, quae, quum in sua quaeque re propria sint, in alienas transferantur, metaphoras esse censeant, tamen, ubi iis de causis dicendum erat, rem magis obscuraverunt, quam illustraverunt. Quae cum ita sint, Ciceronis et Quintiliani definitiones apposuisse satis erit, quorum alter verissime haec dicit (Orat. 27, 92): „tralata (verba) ea dico, quae per similitudinem ab alia re aut suavitatis aut inopiae causa transferuntur". Quintilianus autem docet haec (Inst. or. 8, 6, 5): „transfertur nomen aut verbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest aut translatum proprio melius est. Id facimus, aut quia necesse est, aut quia significantius est, aut quia decentius." Sed a vero aberrat praestantissimus eloquentiae magister, quod nimia causarum partitione usus est. Nam translata verba simul et apertam dilucidamque orationem reddunt, et ornatum eius augent. Ex his igitur, quae de fonte metaphorarum disseruimus, illud elucet, duas translationis esse causas, alteram inopiae vel necessitatis, alteram decoris vel suavitatis, omnes alias non in ipsa re positas, sed extrinsecus esse allatas.

Ac si verum est, quod supra docuimus, similitudinem metaphorarum esse fontem, translationes ad cuiusque populi naturam et mores penitus cognoscenda maxime valere manifestum est. Etenim cum in comparatione imaginem re comparata notiorem esse oporteat, scriptori similitudines aut ex rerum natura aut ex media hominum vita sumendae sunt. Alii autem populi cum aliis studiis maxime delectentur, etiam translationes diversas esse, atque suas quemque populum propriasque habere necesse est. Quamobrem non mirum esse videtur, Graecorum tragicos poëtas, cum Athenienses et rebus rustici et rebus nauticis studerent, inde longe plurimas duxisse metaphoras [3]).

---

1) Lobeck. Path. El. I p. 361.
2) Muetzell, de translationum, quae vocander apud Curtium usu, Berolini 1842.
3) Radtke, de tropis apud tragicos graecos. Berolini 1865.

Quid? Romani, qui rebus militaribus maxime delectarentur, nonne ex his insignem translationum copiam petiverunt? Hinc illi omnem operam forensem, ut infra docebimus, cum pugna et acie comparaverunt. Hinc argumenta, quibus causa defenditur, a Cicerone praesidia, a Quintiliano auxilia, omnino orationes forenses contentiones appellantur. Hinc orationem vehementem, imagine ab hasta vel iaculo petita, contortam nominaverunt. Licet hoc loco, quo modo diversae gentes ad unam eandemque rem significandam variarum rerum similitudinibus usae sint, animadvertere. Nam Graeci, quod non rebus bellicis dediti erant, ut illum acrem orationis impetum denotarent, imaginem non de tormento, sed potius de serpentibus, quae vires suas contorquendo maxime augent, petiverunt. Itaque Demetrius eloc. 8. contortam orationem *λόγον ἐσπειραμένον πρός δεινότητα* h. e in gyrum tortam dicit. Neque mirum est, eosdem, cum Musis deditl essent, ut oratores notarent acres et vehementes, *σάλπιγγας*, *βακχεύοντας*, *τυμπανίζοντας* eos nominasse [1]).

Restat, ut, priusquam ad Ciceronianas metaphoras enumerandas et in ordinem redigendas aggrediamur, pauca de earum partibus constituendis dicamus. Ex his, quae supra exposuimus, quae translationem distribuendarum ratio ineunda esse videatur, facile intellegitur. Nam cum similitudo, e quo fonte metaphora manet, maximi momenti sit, eas ita discribendas esse putavimus, ut earum rerum, ex quibus illae profectae essent, rationem haberemus, atque ab illa Tryphonis partitione quadripartita [2]), quam Muetzellius in commentatione sua diligentissime secutus est, discederemus. Eadem de causa nostro iure fecisse videmur, ut nec similitudines nec continuas metaphoras, quae allegoriae vocantur [3]), praetermitteremus. Sed ad rem nobis propositam veniamus ac primo capite de iis metaphoris, quae a caelo et a sideribus ductae sint, disseramus.

---

1) V. Ernestii lexicon technol. lat. rhet. p. 59.

2) Tryph. ap. Walz p. 730: *γένεται δὲ ἡ μεταφορὰ τετραχῶς, ἀπὸ ἐμψύχων ἐπὶ ἔμψυχα, ἀπὸ ἀψύχων ἐπὶ ἄψυχα, ἀπὸ ἐμψύχων ἐπὶ ἄψυχα, ἀπο ἀψύχων ἐπὶ ἔμψυχα.*

3) Cf. Cic. or. 94: iam cum fluxerunt plures continuae tralatione, alia plane fit oratio; itaque genus hoc Graeci appellant *ἀλληγορίαν*, nomine recte, genere melius ille (sc. Aristoteles), qui ista omnia tralationes vocat.

Caput I.

Translationes a caelo et a sideribus ductae.

1. Caelum, serenus, sol.

Caelum translate ad summam felicitatem, gloriam, laudem significandam adhibetur in his locutionibus: **in** sive **ad caelum tollere, ferre, efferre, extollere.** Res est aperta et omnium usu trita. Cuius translationis viam munire videtur locus, qui est Phil. 11, 10, 24: tunc vel **in caelum** vos, si fieri potuerit, umeris nostris **tollemus.** Deinde Fam. 15, 9, 1: **ad caelum** te **tollimus** verissimis ac iustissimis laudibus. N. D. 2, 24, 62: beneficiis excellentis viros **in caelum** fama ac voluntate **tollere.** Arch. 9, 22: **in caelum** Cato **tollitur.** Fragm. de consolatione 5. (Klotz.): si Cadmi progenies **in caelum tollenda** fama fuit. Fragm. Hortens. 42: eloquentiam tu **in caelum,** ut ipse cum ea simul ascenderes, **sustulisses.** Att. 6, 2, 9: nos **in caelum** decretis suis **sustulerunt.** — Fam. 10, 26, 2: laudibus te omnes **in caelum ferunt.** Acc. 4, 6, 12: nomina artificum isti **ad caelum ferunt.** Att. 7, 1, 5: quae tuis litteris **in caelum ferebas.** Phil. 4, 3, 6: Caesar **fertur in caelum,** qui contra te exercitum comparavit; laudantur exquisitissimis verbis legiones, quae te reliquerunt. Att. 4, 16, 2: oratorios dialogos tu **in caelum fers.** Att. 16, 6, 2: **in caelum ferri** profectionem meam. — Usitatissima est formula: in (ad) caelum laudibus efferre, velut Brut. 85, 292: Socrates **in caelum effert** laudibus Protagoram. Marc. 9, 29: alii laudibus **ad caelum** res tuas gestas **efferent.** Fam. 9, 14. 1: te summis laudibus **ad caelum extulerunt.** Att. 14, 17, A. 1: te summis laudibus **ad caelum extulerunt.** Flacc. 41, 103: quae uno consensu omnium **in caelum** laudibus **efferebantur.** de Or. 2, 29, 128: orationis facultatem **in caelum** verbis **extulit.** de Or. 3, 36, 146: quae tu verbis **ad caelum extulisti.** Fam. 12, 25 A., 7: quem tu litteris **ad caelum** laudibus **extulisti.** Fam. 15, 4, 11: qui me **ad caelum extulisti.** Att. 14, 18, 1: rem gestam nimis **in caelum efferre.** — Har. resp. 22, 47: nisi eos **in caelum** suis laudibus **extolleret.** — Accedat locutio: **in caelo esse,** quae nusquam nisi in epistolis reperitur et summam felicitatem denotat, velut Att. 2, 19, 2: Bibulus **in caelo est** nec, quare, scio. Ib. 2, 20, 4: Bibulus hominum admiratione et benevolentia **in caelo est.** Ib. 2. 9, 1: si quae de me facta sunt, ea non servantur, **in caelo sum.** Ib. 14, 6, 2: nihil tam σόλοικον, quam tyrannoctonos **in caelo esse,** tyranni facta defendi.

Contra **aliquem de caelo detrahere** significat aliquem honore, gloria privare, ut Phil. 2, 42, 107: collegam **de caelo detraxisti.** — Huc pertinet illud Att. 2, 1, 7: cum principes **digito se caelum** putent **attingere** i. e. in summa felicitate esse. — Nec praetermittendi esse videntur illi loci Phil. 2, 44, 114: quae gloria vix **caelo capi** posse videatur. Frgm. interrogatio de aere alieno Mil. p. 951, 2—4: qui populi Romani imperium non terrarum regionibus, sed **caeli partibus terminavit.** Cat. 3, 11, 26: quorum alter fines vestri imperii non terrae, sed **caeli regionibus terminaret.** Denique cf. Mil. 35, 97: gloriae gradibus etiam **in caelum** homines viderentur **ascendere.** Dom. 28, 75: quibus tamquam gradibus mihi videor **in caelum ascendisse.** Att. 14, 14, 3: quae nostris amicis **aditum ad caelum dederant.** —

Serenus semel a Tullio translate ponitur Tusc. 3, 15, 31: Socratis frons tranquilla et **serena.** cf. ad Herenn. 4, 18, 61: **sereno** vitae tempore. —

Denique **sol.** Hac pulcherrima translatione Cicero usus est hoc uno loco n. d. 2, 5, 14: sole geminato, quod Tuditano et Aquillio consulibus evenerat, quo quidem anno P. Africanus, **sol** alter, exstinctus est.

Caput II.

Translationes ab aëre et iis rebus, quas aër gignere videtur, ductae.

1. Nubes, nubecula, caligo, rorare.

Nubes metaphorice de perturbato reip. statu ut dom. 10, 24: quae tum illis reip. tenebris caecisque **nubibus** et procellis promulgasti. — **Nubecula** trsl. de tristitia, severitate vultus Pis. 9, 20: non tam fui timidus, ut frontis tuae **nubeculam** perhorrescerem.

Caligo sensu proprio est obscuritas aëris sive ex fumo sive ex nebula sive ex tenebris orta. A tenebris, quocum vocabulo saepius coniungitur, ita differt, ut caligo tenebras significet densiores. Vide Doederl. syn. 3, 165 sq. Ac primum transfertur in rerum cognitionem non satis dilucidam, ut Fin. 5, 15, 43: in infirma aetate imbecillaque mente vis naturae per **caliginem** cernitur. Phil. 12, 2, 3: quod videbam sed quasi per **caliginem**: praestrinxerat aciem animi D. Bruti salus, et paulo post 12, 2, 5: discussa est illa **caligo**; diluxit, patet, videmus omnia. Tusc. 5, 2, 6: hic error et haec indoctorum animis offusa **caligo** est. Fragm. or. in Clod. 1: quaedam scelerum offusa **caligo.** Tusc. 1, 19, 45: praecipue vero fruentur philosophia, qui tum etiam, cum has terras incolentes circumfusi erant **caligine**, tamen acie mentis dispicere cupiebant. Deinde, ut nubes, in turbulentis reip. temporibus dicitur, ut Planc. 40, 96: vide nunc **caliginem** temporum illorum. Acc. 3, 76, 177: illa omnis pecunia latuit in illa **caligine** ac tenebris, quae totam remp. tum occuparunt. Post red. in sen. 3, 5: ex superioris anni **caligine** et tenebris lucem in rep. dispicere coepistis. Prov. cons. 18, 43: ecce illa tempestas, **caligo** bonorum et subita atque improvisa formido, tenebrae

reip., ruina atque incendium civitatis. Denique huc rettulerim illud Cat. m. 14, 46: pocula, sicut in symposio Xenophontis est, minuta atque **rorantia**. V. interpretes.

2. Fulmen, fulgere, tonare, intonare.

Fulmen differt a fulgure, quod fulmen est telum ipsum, quod ferit, fulgur est splendor fulminis. Itaque fulmina duces fortissimi vocantur, qui omnia vi atque impetu armorum instar fulminis prosternunt, ut Balb. 15, 34: cum duo **fulmina** nostri imperii subito in Hispania, Cn. et P. Scipiones, exstincti occidissent. Deinde fulmen transfertur ad gravissima mala, quae ex improviso accidunt, ut Tusc. 2, 27, 66: non modo stimulos doloris, sed etiam **fulmina** fortunae contemnamus. Rep. 1, 4, 7: non dubitaverim me gravissimis **tempestatibus** ac paene **fulminibus** ipsis obvium ferre conservandorum civium causa. Att. 4, 6, 3: trinas epistolas ante legeram. Ecce quartae **fulmen**. (Der vierte Brief war ein Donnerschlag für mich wegen der Nachricht, die er enthielt.) Denique in orationem acrem et vehementem, ut Fam. 9, 21, 1: insanire tibi videris, quod imitere verborum meorum **fulmina**. Or. 70, 234: Demosthenis non tam vibrarent **fulmina** illa, nisi numeris contorta ferrentur. Cf. Att. 15, 16, 2: Δημοσθένους **fulmina**.

Similiter **fulgere** et **tonare** in oratione vehementi dicuntur, ut Or. 9, 29: Pericles, (si tenui genere uteretur), numquam ab Aristophane poëta **fulgere**, tonare, permiscere Graeciam dictus esset. Praeterea **fulgere** in varias res transfertur, in arma Tusc. 5, 21, 62: **fulgentem** gladium; in ebur et aurum Parad. 1, 3, 13: marmoreis tectis, ebore et auro **fulgentibus**; in purpuram Cat. 2, 3, 5: qui nitent unguentis, qui **fulgent** purpura; denique in res, quae mente ac cogitatione comprehenduntur Att. 8, 8, 2: **fulsisse** mihi videbatur τὸ καλὸν ad oculos eius. — Ut tonare, sic **intonare** oratori impetu quodam animi dicenti tribuitur. Mur. 38, 81: hesterna contione **intonuit** vox perniciosa designati tribuni [1].

3. Aura, ventus, ventosus, ventilare.

Aura, cum proprie de aëre spirante, maxime de aëre leniter et placide spirante ponatur, ad quamcumque rem, quae nos allicit et, ut aliquid agamus, impellit, traducitur. Mur. 17, 35: totam opinionem parva nonnumquam commutat **aura** rumoris. Sest. 47, 101: Q. Catulum neque periculi tempestas neque honoris **aura** potuit umquam de suo **cursu** aut spe aut metu demovere. Acc. 1, 13, 35, sperat (Verres) sibi **auram** posse aliquam **afflari** in hoc crimine voluntatis eorum, quibus Cn. Carbonis mortui nomen odio sit (dass ihm bei dieser Anschuldigung ein günstiger Wind in der Stimmung der Feinde zuwehen könne, d. i. dass ihm dieselbe zu statten kommen könne). Har. resp. 20, 43: Sulpicium longius quam voluit popularis **aura** provexit. Aura popularis brevius vulgo

1) Falso hoc poetice dictum esse Tischerus ad h. l. putat. Vide Liv. 3, 48: cum haec **intonuisset** plenus irae.

ponitur pro aura favoris popularis, (vide Livium 22, 36, 4 [1]). Leg. 3, 16, 35: L. Cassio dissidente a bonis atque omnis rumusculos popularis **aurae** aucupante.

Venti cum aut secundi aut adversi sint, dupliciter metaphorice ponuntur, ita ut primum de prospera fortuna usurpentur, velut Att. 2, 1, 6: Caesaris nunc **venti** valde sunt secundi. Hinc, ut aura popularis, sic ventus popularis dicitur Clu. 47, 130: omnes intelligimus, in istis subscriptionibus **ventum** quendam popularem esse quaesitum. Cf. paulo post: ex tota subscriptione rumorem quendam et plausum popularem esse quaesitum. Sic venti subsidia Milonis ad consulatum petendum vocantur Fam. 2, 6, 4: dux nobis et auctor opus est et eorum **ventorum**, quos proposui, moderator quidam et quasi gubernator. Locus ab interpretibus valde vexatus est Clu. 28, 77: L. Quinctius, homo maxime popularis, qui omnes rumorum et contionum **ventos colligere** consuesset, oblatam sibi facultatem putavit, ut ex invidia senatoria posset crescere. Imago h. l. a navigatione sumta est. Nam venti intelleguntur rumores, quos sparsit et contiones, quas concitavit in alios, ut ipse quasi prosperiore cursu veheretur et invidia in alios excitata cresceret. — Deinde venti pro adversa fortuna accipiuntur, ut Pis. 9, 21: alios vidi **ventos**, alias prospexi animo **procellas**, aliis impendentibus **tempestatibus** non cessi. Unde de invidia in aliquem concitata dicuntur, ut Acc. 3, 61, 98: sic est hic ordo quasi propositus atque editus in altum, ut ab omnibus **ventis** invidiae **circumflari** posse videatur. Sull. 14, 41: quo facilius **vento** aliquo in optimum quemque excitato posset in malis reip. **portum** aliquem suorum malorum invenire. Similiter de fama Fam. 8, 8, 2: magna illico fama surrexit et de damnatione ferventer loqui est coeptum. Quo **vento** (nachtheiligem Gerede) proicitur Appius. Praeterea cf. Fam. 12, 25, 5: quamobrem conscende nobiscum et quidem ad **puppim**. Una **navis** est iam bonorum omnium; quam quidem nos damus operam ut rectam teneamus. Utinam prospero cursu! Sed quicunque **venti** erunt, ars nostra certe non aberit. Denique proverbialis locutio **ventis remis** Fam. 12, 25, 3 commemoranda est, quae significat: omni virium contentione. —

Ventosus homo est mobilis, inconstans, levis, vanus. Sic Lepidus a Bruto Fam 11, 9, 1: homo **ventosissimus** appellatur. Adde Phil. 11, 7, 17: extraordinarium imperium populare atque **ventosum** est, minime nostrae gravitatis, minime huius ordinis. —

Ventilare est proprie vento faciendo excitare aliquid. Translate de seditione: Flacc. 23, 54: cuius lingua quasi **flabello** seditionis illa tum est egentium contio **ventilata** (dessen Zunge den Wind machte, welcher damals jene Proletarierversammlung aufgeregt hat. Naegelsbach).

4. Flatus, afflatus, afflare, circumflare, conflare, inflare, inflatus.

Flatus transfertur ad fortunam Off. 2, 6, 19: nam et cum prospero **flatu** fortunae utimur, ad exitus **pervehimur** optatos, et cum **reflavit**, **affligimur**. Imago a navigatione ducta est, ut de or.

---

1) Plura exempla collegit Baur, de aliquot translationum Livianarum generibus. Augustae Vindelicorum 1864.

2, 44, 187: ad id, unde aliquis **flatus** ostenditur, vela do (richte meine Segel nach dem Winde). Hoc loco agitur de oratoris arte ad voluntates audientium se accommodandi.

Afflatus ad animum ita traducitur, ut vim divinitus immissam, impetum, furorem quendam denotet. (inspiration.) N. D. 2, 66, 167: nemo vir magnus sine aliquo **adflatu** divino umquam fuit. de Or. 2. 46, 194: poeta bonus nemo sine inflammatione animorum exsistere potest et sine quodam **afflatu** quasi furoris. Divin. 18, 34: oracula instinctu divino **adflatuque** funduntur. Ib. 1, 19, 38: vis illa terrae, quae mentem (Pythiae) divino **adflatu** concitabat. Cf. ib. 2, 57, 117. — **Afflare** Att. 16, 5, 1: rumoris nescio quid **afflaverat**. Vide supra s. v. aura. — **Circumflare** V. supra s. v. ventus. —

Latius patet usus metaphoricus verbi **conflare**, quod proprium est et in igni, qui flando excitatur, et in metallis, quae igni follibus admotis liquefiunt. Hinc altera propria significatio in res civiles, in bellum, tumultum, seditionem, quae quasi incendium incitantur, refertur. Velut Phil. 2, 28, 70: civile bellum, quod natum, **conflatum** (angeschürt, angefacht), susceptum opera tua est. Fam. 5, 2, 8: bellum maximum **conflare**. Sull. 5, 15: **conflato** gladiatorum ac fugitivorum tumultu. Clu. 36, 99: in exercitu seditionem esse **conflatam**. de Or. 2, 28, 124: illam seditionem iure esse **conflatam**. Har. resp. 20, 42: nefarias cum multis pactiones societatesque **conflavit**. Ab altera significatione plures translationes sunt ductae. Ac primum conflare est artissime coniungere (verschmelzen), ut Lig. 12, 34: quis est qui horum consensum **conspirantem** et paene **conflatum** in hac prope aequalitate fraterna [non] noverit? (Wer wüsste nicht, wie völlig, ja wie fast unauflöslich eins diese auch im Alter sich so nahe stehenden Brüder waren. Nglsb.)

Deinde conflare cum praepositione ex in eis rebus dicitur, quae ex pluribus quasi in unum coalescunt, ut N. D. 2, 39, 100: ipsum mare sic terram appetens litoribus alludit, ut una ex duabus naturis **conflata** videatur. Off. 1, 4, 14: quibus ex rebus **conflatur** et efficitur, id quod quaerimus, honestum. Cael. 5, 12: monstrum tam ex contrariis diversisque et inter se pugnantibus naturae studiis cupiditatibusque **conflatum** (ein seltsames Wesen, bei dem sich so entgegengesetzte, verschiedene und sich widersprechende Richtungen des Characters eng vereinigt finden). — Inv. 2, 3, 8: diversis sicuti familiis unum quoddam est **conflatum** genus a posterioribus.

Tum conflare est in unum locum conferre, conligere cum notione vituperationis (cf. zusammentrommeln, zusammenwürfeln). Phil. 4, 6, 15: ille cum exercitum nullum habuisset, repente **conflavit**. Sull. 11, 43: exercitus perditorum civium clandestino scelere **conflatus**. Cat. 1, 10, 25: nanctus es ex perditis atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis **conflatam** improborum manum. Sest. 30, 66: quae ratio aut flandae (prägen) aut **conflandae** pecuniae non reperiebatur? (Halmius vertit: welche Art Münzen und Geld zu machen ward nicht aufgefunden?). — Postremo conflare valet aliquid mali facere, moliri, machinari (schmieden), ut Acc. 2, 47, 116: quae illam totam accusationem iudiciumque **conflarat**. Rosc. A. 2, 6: quae res **conflavit** hoc iudicium. Clu. 4, 9: ut intellegatis in tota illa causa, quid invidia **conflavit**. Agr. 2, 37, 103: quod turbulenti me consule **conflarent**. Sed uncis totum locum seclusit Kayserus. — Saepius passive Rosc. A. 1, 1:

2

iniuriam novo scelere **conflatam**. Part. or. 35, 121: ab reo querella **conflati** criminis proferetur. Rosc. com. 16, 48: unde hoc ductum et **conflatum** mendacium est? Clu. 6, 18: nihil mali timuit, quod non totum a matre esset **conflatum** et profectum. Ib. 61, 169: quidquid habuerit sollicitudinis ac negotii, id a matre esse **conflatum**. Dom. 11, 30: quorum id scelere **conflatum** sit me occultare. Sull. 13, 39: domi eius pleraque **conflata** esse constabat. Clu. 35, 95: **conflata** praesertim invidia. — Cum dativo incommodi et active et passive. Clu. 29, 79: summam illi iudicio invidiam infamiamque esse **conflatam**. Sull. 4, 13: quibus ipsis periculum tum **conflari** putabatur. Acc. 2, 54, 135: quod cuique negotii **conflare** volebat. Cat. 1, 9, 23: si mihi inimico tuo **conflare** vis invidiam. Cael. 12, 29: videbare ex communi infamia iuventutis aliquam invidiam Caelio velle **conflare**. Cum praepositione in c. Acc. Acc. 2, 29, 73: quod in se tantum crimen invidiamque **conflaret**.

Inflare proprium est tibiarum. Transfertur ad orationem pleniorem. Leg. 1, 2, 6: Antipater paulo **inflavit** vehementius habuitque vires agrestes ille quidem sine nitore et palaestra i. e. fuit in historia scribenda plenior (cf. nahm den Mund etwas voller). Cf. de Or. 2, 12, 54: addidit historiae maiorem sonum. Deinde est proprie aliquid flando implere, turgidum facere. Hinc transfertur ad animum Arch. 8, 18: poëtam quasi divino quodam spiritu **inflari**. Pis. 36, 89: cum tibi spe falsa animos rumor **inflasset**. Cf. Vatin. 4, 10: ut aliquando ista, quae sunt **inflata**, rumpantur. — **Inflatus** participium fere ad magnos spiritus fastumque refertur Acad. pr. 36, 116: estne quisquam tanto **inflatus** errore, ut sibi se illa scire persuaserit. Off. 1, 26, 91: homines **inflati** opinionibus turpiter irridentur. Ad iram Tusc. 3, 9, 19: **inflatus** et tumens animus in vitio est. In spem: Mur. 15, 33: hostium classis spe atque animis **inflata**. Ib. 24, 49: Catilinam **inflatum** cum spe militum tum collegae mei promissis. In laetitiam: Phil. 14, 6, 15: **inflati** laetitia atque insolentia impii civis. Adde Agr. 2, 35, 97: quibus illi rebus elati et **inflati** non continebuntur et Sest. 8, 18: puteali et feneratorum gregibus **inflatus**. — Item **inflatus** nomen, quod proprie actum inflandi denotat, ad animum transfertur. Div. 1, 6, 12: est vis et natura quaedam, quae aliquo instinctu **inflatuque** divino futura praenuntiat. Cf. supra Div. 1, 18, 34: instinctu divino **afflatuque**. Denique refertur ad orationem. De Or. 3, 11, 41: „verba **inflata** et quasi anhelata gravius", quae opponuntur „verbis exiliter exanimatis", vitium nimiae intentionis spiritus habent. Similiter **inflatum** genus vocis contrarium est **extenuato** de Or. 3, 57, 216. Vide Ernestii lex. techn. lat. p. 214 seq.

5. Spiritus, spirare, adspirare, conspirare, conspiratio.

Spiritus est proprie aër spirans, tum aër quem ducimus reddimusque. Translate tribuitur animo elato et in bonam et in malam partem, superbiae, arrogantiae, plerumque in plur. num. Sull. 9, 27: res gestae meae me nimis extulerunt ac mihi nescio quos **spiritus** attulerunt. Agr. 2, 34, 93: quem hominem Romae contemptum videbamus, hunc Capuae cum Campano supercilio ac regio **spiritu** cum videremus. Phil. 8, 8, 24: qua adrogantia! quo stupore! quo **spiritu**! Ad Q. fr. 1, 2, 2, 6: quem hominem! qua ira! quo **spiritu**! Att. 9, 5, 1: venit ad me etiam Q. Fufius, quo

vultu! quo **spiritu!** scelus accusans Pompeii, levitatem senatus. Haec qui in mea villa non feram, Curtium in curia potero ferre? Acc. 3, 9, 22: illos eius **spiritus** Siciliensis quos fuisse putetis cogitate. Imp. Pomp. 22, 66: quae civitas est in Asia, quae non modo imperatoris aut legati, sed unius tribuni militum animos ac **spiritus** capere possit? Clu. 39, 109: noratis animos eius ac **spiritus** tribunicios. Flacc. 22, 53: remittant **spiritus**, comprimant animos suos, sedent adrogantiam. — Est quoque contentio animi, ut Acc. 1, 30, 75: quid ego nunc in altera actione Cn. Dolabellae **spiritus** proferam. — **Spirare** proprie tum ventis Zephyrisque tribuitur, tum est spiritum ducere. Metaphorice Brut. 23, 94: videtur Laelii mens **spirare** (athmen) etiam in scriptis. Etiam transitive cum quarto casu reperitur Att. 15, 11, 1: Martem **spirare** diceres i. e eum plenum esse bellandi cupiditatis. Cf. Liv. 3, 46, 2: hominem tribunatum **spirantem**. — **Adspirare** proprie significat spiritum emittere aliquo. Cum spiritum emitti aliquo accedendo possit, est aspirare idem, quod accedere aliquo. Translate est accedere audere, sive tentare, adiuncta notione inanis conatus (nostrum: sich versteigen). Brut. 21, 84: ex bellica laude **aspirare** ad Africanum nemo potest. Or. 41, 140: sed haec ad eam laudem, quam volumus **aspirare** non possunt. Tusc. 5, 5, 13: haec etiam in eculeum coniciuntur, quo vita non **adspirat** beata. V. Kuehnerum ad h. l. Ib. 5, 9, 27: Metrodorus, occupavi te, inquit, fortuna, atque cepi omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me adspirare non posses. Div. in Q. Caecil. 5, 20: quisquam tam impudens reperietur, qui ad alienam causam invitis iis, quorum negotium est accedere aut **aspirare** audeat. Cf. ib. 16, 51. — **Conspirare** proprie ii dicuntur qui eundem spiritum ducunt. Transfertur ad eos, qui quasi uno spiritu consentiunt, concordes sunt, etiam se coniungunt ad aliquid agendum Agr. 1, 9, 26: **conspirate** nobiscum, consentite cum bonis. Phil. 11, 1, 2: senatum cum populo Romano **conpirasse**. Ib. 3, 5, 13: tantus est consensus municipiorum coloniarumque, ut omnes ad maiestatem populi Romani defendendam **conspirasse** videantur. Fam. 10, 12, 4: populus Romanus universus et omnium generum ordinumque consensus ad liberandam remp. **conspiravit**. Tribuitur etiam rebus inanimis. Tusc. 5, 25, 72: consilium omnis vitae consentiens et paene **conspirans**. N. D. 2, 7, 19: tanta rerum consentiens, **conspirans**, continuata cognatio. Ib. 3, 11, 28: illa mihi placebat oratio de convenientia consensuque naturae, quam quasi cognationem continuatam **conspirare** dicebas. V. supra s. v. conflatus Lig. 12, 34. — **Conspiratio** et in bonam et in malam partem transl. ponitur. In bonam partem significat concordiam consensum. Cat. 4, 10, 22: quae vis coniunctionem vestram et tantam **conspirationem** bonorum omnium confringere et labefactare possit. Off. 2, 5, 16: **conspiratione** hominum atque consensu. Fin. 5, 23, 66: **conspiratio** consensusque virtutum. Ib. 1, 20, 65: amoris **conspiratione** consentientes amicorum greges. Lentulus ap. Cic. Fam. 12, 15, 3: hanc concordiam et **conspirationem** omnium ordinum ad defendendam libertatem esse factam. Dom. 11, 28: hanc nostram coniunctionem, hanc **conspirationem** in rep. bene gerenda. In malam partem est coniuratio Deiot. 4, 11: nihil de **conspiratione** audiebat certorum hominum contra dignitatem tuam. Brut. ap. Cic. Fam. 11, 13, 5: contra sceleratissimam **conspirationem** hostium.

Caput III.

Translationes a rebus maritimis ductae.

Jam transeamus ad tertium genus, quod translationes a rebus maritimis petitas complectitur. Atque eam disputationis rationem sequemur, ut primum metaphoras a mari ventis agitato et ab infelici navigatione sumtas in medium proferamus, deinde ut ad eas, quae a navi ipsa eiusque partibus et a prospera navigatione ductae sunt, accedamus. Ex toto autem genere, ut omnes omnium temporum scriptores, sic Tullius plurimas elegantissimasque translationes derivavit. Ac primo loco de tempestatibus dicendum erit.

1. Tempestas, procella, turbo.

Tempestas est translate quaevis perturbatio, periculum, calamitas, maxime civilis. De Or. 1, 1, 2: qui locus quietis et tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maximae moles molestiarum et turbulentissimae **tempestates** exstiterunt. Rep. 1, 1, 1: homo demens, cum cogeret eum necessitas nulla, in his **undis** et **tempestatibus** ad summam senectutem maluit **iactari**, quam in illa tranquillitate et otio iucundissime vivere. Tusc. 3, 16, 12: est natura in animis tenerum atque molle, quod aegritudine quasi **tempestate** quatiatur. Acad. pr. 2, 3, 8: ad quamcumque sunt disciplinam quasi **tempestate delati**, ad eam tamquam ad **saxum** adhaerescunt. V. supra s. v. fulmen Rep. 1, 4, 7. Cat. 1, 9, 22: quanta **tempestas** invidiae nobis impendeat. Clu. 34, 94: tempus hoc tranquillum atque pacatum; illud omnibus invidiae **tempestatibus** concitatum. Cat. 2, 7, 15: huius invidiae falsae **tempestatem** subire. Vid. supr. Sest. 47, 101 s. v. aura. Pis. 36, 89: cum concursum plorantium ac **tempestatem** querellarum ferre non posses. Fam. 5, 13, 2: quae cogitatio vi **tempestatum** et concursu calamitatum erat labefactata atque convolsa. Clu. 35, 96: non fuit illud iudicium iudicii simile . . vis illa fuit, ruina quaedam atque **tempestas** et quidvis potius quam iudicium. — Imprimis de perturbato reip. statu. Tusc. 5, 2, 5: his gravissimis casibus in eundem **portum**, ex quo eramus egressi, magna **iactati tempestate** confugimus i. e. post bella civilia rursus philosophiae studio, quod reliqueramus, nos dedimus. Sull. 20, 59: cum in illa reip. **tempestate** versarer. Planc. 35, 86: quod discrimen, quae fuerit in rep. **tempestas** illa, quis nescit. Sest. 28, 61: in tanta reip. **tempestate**. Sull. 14, 40: in illa turbulentissima **tempestate** reip. Rep. 2, 6, 11: arx etiam in illa **tempestate** horribili Gallici adventus incolumis permansit. Dom. 6, 11: in illa **tempestate** ac **nocte** reip. Har. resp. 3, 4: tum vidi, quanta **tempestas** excitaretur, quanta impenderet **procella** reip. Cael. 24, 59: quanta impenderet **procella** mihi, quanta **tempestas** civitati. Sest. 9, 20: **tempestatem** impendentem intueri. Att. 8, 3, 2: propter suspitionem huius impendentis **tempestatis**. Att. 9, 9, 4: quanta **tempestas** impendeat, vides. Fam. 4, 3, 1: multo ante tamquam ex aliqua specula prospexi **tempestatem** futuram. Mur. 38, 81: nonne prospicis **tempestatem** anni tui. Att. 10, 4, 5: ea ipsa **tempestate** eversam esse remp. quam ego XIIII annis ante prospexerim. Sest.

67, 140: ceteri repentina vi perculsi ac tempestate populari per populum ipsum revocati sunt. Mur. 17, 36: in hac comitiorum tempestate populari. Phil. 7, 2, 7: huius magnitudini animi tempestas est oblata formidolisissimi temporis. Ib. 10, 5, 11: quae tempestas, quae flamma, quae vastitas, quae pestis Graeciae fuisset. Acc. 1, 38, 96: te tamquam aliquam calamitosam pestem tempestatemque pervasisse. Prov. cons. 8, 18: omnem illam tempestatem, cui cesserim, Caesare adiutore esse excitatam. Dom. 26, 68: qui me cessisse tempestati dixit. Vide supra Pis. 9, 21, s. v. ventus et Prov. cons. 18, 43 s. v. caligo. Cael. 32, 79: nolite hunc nunc primum florescentem, firmata iam stirpe virtutis, tamquam turbine aliquo aut subita tempestate pervertere. Att. 2, 21, 2: si homines transitum tempestatis exspectare potuissent. Sest. 66, 139: subeundae saepe pro rep. tempestates. Mur. 2, 4: quo animo esse oportet prope iam ex magna iactatione terram videntem in hunc, cui video maximas reip. tempestates esse subeundas. Planc. 4, 11: qui in hac tempestate populi iactemur et fluctibus. Mil. 2, 5: ceteras tempestates et procellas in illis dum taxat fluctibus contionum semper putavi Miloni esse subeundas. Sest. 34, 73: magna rerum permutatione impendente declinasse me paulum et spe reliquae tranquillitatis praesentis fluctus tempestatemque fugisse. Planc. 5, 13: tanta in tempestate te gubernare non posse. Balb. 27, 61: non esse inconstantis puto sententiam tamquam aliquod navigium atque cursum ex reip. tempestate moderari. Planc. 39, 94: an, cum videam navem secundis ventis cursum tenentem suum, si non eum petat portum, quem ego aliquando probavi, sed alium non minus tutum atque tranquillum, cum tempestate pugnem periculose potius? Ib. 40, 96: quam tempestatem nos nobiscum non tulissemus, metuit, ut eam ipse posset opibus suis sustinere. Sest. 20, 46: cum vero in hanc reip. navem ereptis senatui gubernaculis fluitantem in alto tempestatibus seditionum ac discordiarum armatae tot classes incursurae viderentur. Cf. in comparatione Clu. 49, 138: sic populum Romanum hominum seditiosorum vocibus ut violentissimis tempestatibus concitari. Cf. Dom. 2, 4. Lig. 12, 34: tempestate (i. e. bello civili) abreptus est unus. Fam. 9, 6, 4: quod his tempestatibus es prope solus in portu. Att. 7, 13, 2: commissum est a nostro duce, ut e portu sine gubernaculis egressi tempestati nos traderemus. — Etiam homines tempestas vocantur, ut Acc. 2, 37, 91: hiemi sese fluctibusque committere maluit, quam non istam communem Siculorum tempestatem calamitatemque (i. e. Verrem) vitare. Vatin. 14, 33: pestem illius anni, furiam patriae, tempestatem reip. P. Clodium. Dom. 53, 137: tu procella patriae, turbo ac tempestas pacis atque otii, quod in naufragio reip. tenebris offusis demerso populo Romano, dirueris.

Procella eodem sensu metaphorico usurpatur. Hinc saepius cum tempestate coniunctum reperitur. Vid. supr. Mil. 2, 5, Har. resp. 3, 4, Cael. 24, 59, Pis. 9, 21, Dom. 53, 137. De invidia Clu. 56, 153: vitam tranquillam et quietam, remotam a procellis invidiarum et huiusce modi iudiciorum. — De turbulento statu reip. Cat. 4, 2, 4: incumbite ad salutem reip., circumspicite omnis procellas, quae impendent. Verr. 1, 3, 8: ut quoniam criminum vim subterfugere nullo modo poterat, procellam temporis devitaret. Dom. 10, 24: in illis reip. tenebris, caecisque nubibus et procellis.

Turbo similiter de quavis calamitate. V. s. Cael. 32, 79 s. v. tempestas. Deinde de tumultibus civilibus Pis. 9, 20: qui in maximis **turbinibus** ac **fluctibus** reip. **navem gubernassem** salvamque in **portu** collocassem. — De hominibus seditiosis ac turbulentis V. Dom. 53, 137 s. v. tempestas. Sest. 11, 25: illi duo reip. **turbines** (Gabinius et Piso). —

2. Fluctus, fluctuare, aestus, aestuare, absorbere, gurges, ingurgitare, vorago.

Fluctus ad quodvis periculum, imprimis reip. refertur. Cum tempestate coniunctum est: Sest. 34, 73. Vide supra Mil. 2, 5. Sest. 3, 7: fluctibus reisp. expulsum. Sest. 46, 99: in rep. **fluctus** excitantur, ut vigilandum sit eis, qui sibi **gubernacula** patriae depoposcerunt, enitendumque ut **tenere cursum** possent et capere otii illum **portum** et dignitatis. de Or. 1, 1, 3: hoc tempus omne post consulatum obiecimus iis **fluctibus**, qui per nos a communi peste depulsi in nosmet ipsos **redundarent**. Att. 1, 18, 8: nunc vides, quibus **fluctibus iactemur** i. e. quam turbulentus sit reip. status. Vid. supr. Pis. 9, 20. Sest. 9, 20: quis **clavum** tanti imperii tenere et **gubernacula** reip. tractare in maximo **cursu** ac **fluctibus** posse arbitraretur. Flacc. 24, 57: quantos **fluctus** excitari in contionibus videtis. Prov. cons. 16, 39: homines ab huius ordinis coniunctione depulsi ex hoc **portu** (i. e. senatu) se in illos **fluctus** (contionum) contulerunt. Simillime Planc. 6, 15: illae **undae** comitiorum. Qui si ex illa **iactatione cursuque** populari referunt aspectum in curiam . . . Att. 8, 3, 5: ut iam placatis utamur **fluctibus**. De aliis periculis Phil. 13, 9, 20: totius belli **fluctibus** circumiri. Har. resp. 23, 48: emergere auctoritatem vestram e **fluctibus** illis servitutis. Pis. 29, 72: haec res tibi fluctus illos excitavit. Flacc. 26, 63: Massilia, cum cincta Gallorum gentibus barbariae **fluctibus** adluatur. In singulari numero: Att. 7, 11, 3: **fluctum** totius barbariae ferre urbs una non poterat. Cf. Q. fr. 1, 1, 4: rogo ne te obrui, tamquam **fluctu**, sic magnitudine negotii sinas et Fam. 9, 16, 6: fortunam levem et imbecillam ab animo firmo et gravi tamquam **fluctum a saxo frangi**.

Fluctuare, quod proprie tum in mari ventis agitato tum in hominibus vel navibus in mari fluitantibus dicitur, refertur ad orationem dissolutam, ut Or. 58, 195: omnis nec claudicans nec quasi **fluctuans** et aequaliter constanterque ingrediens numerosa habetur oratio. Vide quae Ernestius lex. techn. lat. rhet.p. 178 de hac re copiosius disputavit. — Deinde fluctuare est hominum dubitantium quid statuant et rerum incertarum. Incertum est, utrum metaphora a mari agitato an a navi in alto huc illuc fluctante derivanda sit. Acad. pr. 2, 9, 29: non debere Academicos in suo decreto, sicut in ceteris rebus, **fluctuari.**" Att. 1, 20, 2: hominis **fluctuantem** sententiam confirmassem. — Att. 2, 12, 3: tota res etiam nunc **fluctuat**.

Ab his seiungenda non sunt vocabula **aestus** et **aestuandi**. **Aestus** proprie in aquis quae igni subiecto fervent et ebulliunt dicitur. Hinc propter similitudinem fluctibus vento agitatis tribuitur (cf. nostrum: Brandung). Translate est impetus animi quidam, qui nos aliquo rapit et impellit, ut aliquid agamus. De Or. 3, 36, 145: quo cum oratione ingressus esses, repente te quasi quidam **aestus** ingenii tui procul a terra **abripuit** atque in **altum** a conspectu paene omnium **abstraxit**.

Brut. 81, 282: sed hunc quoque **absorbuit** aestus quidam insolitae adolescentibus gloriae. Leg. 2, 4, 9: ne **aestus** nos consuetudinis **absorbeat** et ad sermonis morem usitati trahat. Item refertur ad animum dubitatione, perturbationibus, curis vexatum. Div. in Caec. 14, 45: qui tibi **aestus**, qui error, quae **tenebrae** erunt. Mur. 17, 35: quod fretum quem Euripum tot motus, tantas putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes et quantos **aestus** habet ratio comitiorum. Planc. 6, 15: campus atque illae **undae** comitiorum, ut mare profundum et immensum, sic effervescunt quodam quasi **aestu**, ut ad alios accedant, ab aliis recedant. — Eodem sensu **aestuare** ponitur. Refertur ad animum vehementer perturbatum. Fam. 7, 18, 1: desiderio nostri te **aestuare**. Ad dubitationem et anxietatem, ut manifeste apparet ex Acc. 2, 30, 74: **aestuabat** dubitatione; versabat se in utramque partem non solum mente, sed etiam corpore, ut omnes intellegere possent in animo eius metum cum cupiditate pugnare. Ib. 23, 55: quod ubi auditum est, **aestuare** illi, qui pecuniam dederant. Fat. 8, 5: hoc loco Chrysippus **aestuans** falli sperat Chaldaeos. Ibid. fragm. 1. Orell. p. 582: Chrysippus **aestuans** laboransque quonam pacto explicet. Att. 7, 13, 5: in eo **aestuavi** diu. Flacc. 20, 47: hunc **aestuantem** et tergiversantem iudicio illic persequitur. Har. resp. 1, 2: exsanguis atque **aestuans** se ex curia repente proripuit. Cf. Acad. pr. 2, 22, 70: ut ii, qui sub Novis solem non ferunt, item ille, cum **aestuaret**, veterum, ut Maenianorum, sic Academicorum **umbram** secutus est.

Huc pertinet quoque **absorbere**, quod verbum in mari proprie dicitur, quod omnia devorat, itaque coniunctum cum **aestu** legitur; vide supr. s. v. aestus Leg. 2, 4, 9 et Brut. 81, 282. Sest. 5, 13: ad tribunatum (Sestii), qui ipse ad sese iam dudum vocat et quodam modo **absorbet** orationem meam (welches meine Rede für sich allein in Anspruch nimmt) contento studio cursuque veniamus. Cf. Rep. 2, 5, 10 de Roma alimenta excipiente: Romulus urbem amnis in mare influentis posuit in ripa, qua eodem flumine res ad victum cultumque necessarius non solum mari **absorberet**, sed etiam invectas acciperet ex terra.

Accedat **gurges**, quod nomen ad libidines transfertur Sest. 43, 93: ut divitias in profundissimum libidinum suarum **gurgitem** profundat. Deinde ad homines rapaces et gulosos Acc. 3, 9, 23: qui immensa aliqua **vorago** est et **gurges** vitiorum turpitudinumque omnium. Sest. 52, 111: quid? tu **gurges** ac **vorago** patrimonii helluabare? Absolute Phil. 11, 5, 10: Antonius secum habet L. fratrem quem **gurgitem**, quam **voraginem**. Pis. 17, 41: ille **gurges** atque helluo, natus abdomini suo, non laudi et gloriae. Dom. 47, 124: ille **gurges**, helluatus tecum simul reip. sanguine. De Or. 2, 55, 224: norat hunc **gurgitem**. — **Ingurgitare** se transl. pro se immergere, se immittere Pis. 18, 42: numquam te in tot flagitia **ingurgitasses**. Phil. 2, 27, 65: in eius viri copias cum se subito **ingurgitasset**.

Cum gurgite saepius **vorago** coniunctum reperitur. Vide supra. Item in hominibus prodigis dicitur. Pis. 18, 41: vos, geminae **voragines**, **scopulique** reip. De Or. 3, 41, 163: pro Charybdim bonorum **voraginem** bonorum libentius Cicero dixerit.

Turbo similiter de quavis calamitate. V. s. Cael. 32, 79 s. v. tempestas. Deinde de tumultibus civilibus Pis. 9, 20: qui in maximis **turbinibus** ac **fluctibus** reip. **navem gubernassem** salvamque in **portu** collocassem. — De hominibus seditiosis ac turbulentis V. Dom. 53, 137 s. v. tempestas. Sest. 11, 25: illi duo reip. **turbines** (Gabinius et Piso). —

2. Fluctus, fluctuare, aestus, aestuare, absorbere, gurges, ingurgitare, vorago.

Fluctus ad quodvis periculum, imprimis reip. refertur. Cum tempestate coniunctum est: Sest. 34, 73. Vide supra Mil. 2, 5. Sest. 3, 7: fluctibus reisp. expulsum. Sest. 46, 99: in rep. **fluctus** excitantur, ut vigilandum sit eis, qui sibi **gubernacula** patriae depoposcerunt, enitendumque ut **tenere cursum** possent et capere otii illum **portum** et dignitatis. de Or. 1, 1, 3: hoc tempus omne post consulatum obiecimus iis **fluctibus**, qui per nos a communi peste depulsi in nosmet ipsos **redundarent**. Att. 1, 18, 8: nunc vides, quibus **fluctibus iactemur** i. e. quam turbulentus sit reip. status. Vid. supr. Pis. 9, 20. Sest. 9, 20: quis **clavum** tanti imperii tenere et **gubernacula** reip. tractare in maximo **cursu** ac **fluctibus** posse arbitraretur. Flacc. 24, 57: quantos **fluctus** excitari in contionibus videtis. Prov. cons. 16, 39: homines ab huius ordinis coniunctione depulsi ex hoc **portu** (i. e. senatu) se in illos **fluctus** (contionum) contulerunt. Simillime Planc. 6, 15: illae **undae** comitiorum. Qui si ex illa **iactatione cursuque** populari referunt aspectum in curiam . . . Att. 8, 3, 5: ut iam placatis utamur **fluctibus**. De aliis periculis Phil. 13, 9, 20: totius belli **fluctibus** circumiri. Har. resp. 23, 48: emergere auctoritatem vestram e **fluctibus** illis servitutis. Pis. 29, 72: haec res tibi fluctus illos excitavit. Flacc. 26, 63: Massilia, cum cincta Gallorum gentibus barbariae **fluctibus** adluatur. In singulari numero: Att. 7, 11, 3: **fluctum** totius barbariae ferre urbs una non poterat. Cf. Q. fr. 1, 1, 4: rogo ne te obrui, tamquam **fluctu**, sic magnitudine negotii sinas et Fam. 9, 16, 6: fortunam levem et imbecillam ab animo firmo et gravi tamquam **fluctum a saxo frangi**.

Fluctuare, quod proprie tum in mari ventis agitato tum in hominibus vel navibus in mari fluitantibus dicitur, refertur ad orationem dissolutam, ut Or. 58, 195: omnis nec claudicans nec quasi **fluctuans** et aequaliter constanterque ingrediens numerosa habetur oratio. Vide quae Ernestius lex. techn. lat. rhet.p. 178 de hac re copiosius disputavit. — Deinde fluctuare est hominum dubitantium quid statuant et rerum incertarum. Incertum est, utrum metaphora a mari agitato an a navi in alto huc illuc fluctante derivanda sit. Acad. pr. 2, 9, 29: non debere Academicos in suo decreto, sicut in ceteris rebus, **fluctuari.**" Att. 1, 20, 2: hominis **fluctuantem** sententiam confirmassem. — Att. 2, 12, 3: tota res etiam nunc **fluctuat.**

Ab his seiungenda non sunt vocabula **aestus** et **aestuandi. Aestus** proprie in aquis quae igni subiecto fervent et ebulliunt dicitur. Hinc propter similitudinem fluctibus vento agitatis tribuitur (cf. nostrum: Brandung). Translate est impetus animi quidam, qui nos aliquo rapit et impellit, ut aliquid agamus. De Or. 3, 36, 145: quo cum oratione ingressus esses, repente te quasi quidam **aestus** ingenii tui procul a terra **abripuit** atque in **altum** a conspectu paene omnium abstraxit.

Brut. 81, 282: sed hunc quoque **absorbuit** aestus quidam insolitae adolescentibus gloriae. Leg. 2, 4, 9: ne **aestus** nos consuetudinis **absorbeat** et ad sermonis morem usitati trahat. Item refertur ad animum dubitatione, perturbationibus, curis vexatum. Div. in Caec. 14, 45: qui tibi **aestus**, qui error, quae **tenebrae** erunt. Mur. 17, 35: quod fretum quem Euripum tot motus, tantas putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes et quantos **aestus** habet ratio comitiorum. Planc. 6, 15: campus atque illae **undae** comitiorum, ut mare profundum et immensum, sic effervescunt quodam quasi **aestu**, ut ad alios accedant, ab aliis recedant. — Eodem sensu **aestuare** ponitur. Refertur ad animum vehementer perturbatum. Fam. 7, 18, 1: desiderio nostri te **aestuare**. Ad dubitationem et anxietatem, ut manifeste apparet ex Acc. 2, 30, 74: **aestuabat** dubitatione; versabat se in utramque partem non solum mente, sed etiam corpore, ut omnes intellegere possent in animo eius metum cum cupiditate pugnare. Ib. 23, 55: quod ubi auditum est, **aestuare** illi, qui pecuniam dederant. Fat. 8, 5: hoc loco Chrysippus **aestuans** falli sperat Chaldaeos. Ibid. fragm. 1. Orell. p. 582: Chrysippus **aestuans** laboransque quonam pacto explicet. Att. 7, 13, 5: in eo **aestuavi** diu. Flacc. 20, 47: hunc **aestuantem** et tergiversantem iudicio illic persequitur. Har. resp. 1, 2: exsanguis atque **aestuans** se ex curia repente proripuit. Cf. Acad. pr. 2, 22, 70: ut ii, qui sub Novis solem non ferunt, item ille, cum **aestuaret**, veterum, ut Maenianorum, sic Academicorum **umbram** secutus est.

Huc pertinet quoque **absorbere**, quod verbum in mari proprie dicitur, quod omnia devorat. Itaque coniunctum cum **aestu** legitur; vide supr. s. v. aestus Leg. 2, 4, 9 et Brut. 81, 282. Sest. 5, 13: ad tribunatum (Sestii), qui ipse ad sese iam dudum vocat et quodam modo **absorbet** orationem meam (welches meine Rede für sich allein in Anspruch nimmt) contento studio cursuque veniamus. Cf. Rep. 2, 5, 10 de Roma alimenta excipiente: Romulus urbem amnis in mare influentis posuit in ripa, qua eodem flumine res ad victum cultumque necessarius non solum mari **absorberet**, sed etiam invectas acciperet ex terra.

Accedat **gurges**, quod nomen ad libidines transfertur Sest. 43, 93: ut divitias in profundissimum libidinum suarum **gurgitem** profundat. Deinde ad homines rapaces et gulosos Acc. 3, 9, 23: qui immensa aliqua **vorago** est et **gurges** vitiorum turpitudinumque omnium. Sest. 52, 111: quid? tu **gurges** ac **vorago** patrimonii helluabare? Absolute Phil. 11, 5, 10: Antonius secum habet L. fratrem quem **gurgitem**, quam **voraginem**. Pis. 17, 41: ille **gurges** atque helluo, natus abdomini suo, non laudi et gloriae. Dom. 47, 124: ille **gurges**, helluatus tecum simul reip. sanguine. De Or. 2, 55, 224: norat hunc **gurgitem**. — **Ingurgitare** se transl. pro se immergere, se immittere Pis. 18, 42: numquam te in tot flagitia **ingurgitasses**. Phil. 2, 27, 65: in eius viri copias cum se subito **ingurgitasset**.

Cum gurgite saepius **vorago** coniunctum reperitur. Vide supra. Item in hominibus prodigis dicitur. Pis. 18, 41: vos, geminae **voragines**, **scopulique** reip. De Or. 3, 41, 163: pro Charybdim bonorum **voraginem** bonorum libentius Cicero dixerit.

3. Scopulus, scopulosus, naufragium, naufragus, iactura, nauscare.

Scopulus proprie est quisque locus editus, e quo longe prospicere possis, tum imprimis saxum in mari prominens. Transfertur ad pericula Rab. perd. 9, 25: nec tuas ratis ad eos scopulos appulisses, ad quos Sex. Titii adflictam navem et in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres. Rosc. A. 29, 79: restare tibi videtur servorum nomen, quo quasi in portum reiectus a ceteris suspicionibus confugere posses, ubi scopulum offendis eiusmodi, ut non modo ab hoc crimen resilire videas etc. Cael. 21, 51: sed quoniam emersisse iam e vadis et scopulos praetervecta videtur oratio mea (i. e. locos difficiles), perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur. Frgm. Cons. 2: in hos scopulos incidere vitas. Tull. 14, 33: isti singulari ingenio videntur esse, qui et id, quod mihi contra illos datum est, ipsi adripiunt et scopulo atque saxis pro portu stationeque utuntur. De hominibus perditis, Pisone et Gabinio Pis. 18, 41 v. s. s. v. vorago. De Or. 3, 41, 163: Syrtim patrimonii scopulum libentius dixerim. In Ennii versu Brut. 18, 71 biceps Parnassus Musarum scopuli vocantur. V. Frgm. or. p. 990, 2 (Orelli ed. altera). — **Scopulosus:** Div. Caec. 11, 35: intellego, quam scopuloso difficilique in loco verser.

Comparantur ii qui rem familiarem suam, patrimonium, bona perdiderunt, cum iis qui naufragium fecerunt, ut Rosc. A. 50, 147: quem tu e patrimonio tamquam e naufragio nudum expulisti. Fam. 13, 5, 2: is habet in Volaterrano possessionem, cum in eam tamquam e naufragio reliquias contulisset. Tusc. 5, 9, 25: naufragia fortunae. V. supra Rab. perd. 9, 25 s. v. scopulus. Acc. 5, 50, 131: nihil est quod multorum naufragia fortunae colligas. Fam. 4, 13, 2: versor in amicorum naufragiis et bonorum direptionibus. Fam. 1, 9, 5: rei familiaris naufragia. Phil. 12, 18, 9: qui ex naufragio luculenti patrimonii ad haec Antoniana saxa proiectus est. — Transfertur ad alias res, quae amittuntur, ut Acc. 5, 37, 98: in hoc portu (Syracusarum) Atheniensium nobilitatis, imperii, gloriae naufragium factum. Imprimis ad reip. calamitates: Pis. 4, 9: tantis in naufragiis civitatis. Dom. 50, 129: in illo reip. naufragio. Inv. 1, 3, 4: cum ad gubernacula reip. temerarii atque audaces homines accesserant, maxima ac miserrima naufragia fiebant. Sest. 6, 15: necesse est, me totum superioris anni reip. naufragium exponere, in quo colligendo ac reficienda salute communi omnia reperientur. Prov. cons. 4, 7: in illo naufragio huius urbis, quam tu idem, qui gubernare debueras, everteras. Phil. 2, 36, 92: constituta resp. videbatur mihi nullo modo, qui omnia te gubernante naufragia metuebam. Att. 3, 15, 7: istos labores, quos nunc in naufragiis nostris suscipis. Fam. 16, 27, 1: consules designati nisi a gubernaculis recesserint, maximum ab universo naufragio periculum est. De hominibus prodigis Phil. 11, 14, 36: an cetera ex eodem latrocinio naufragia (per metonymiam pro reliquiis naufragii) colligam? (Soll ich die übrigen Schiffbrüchigen aus derselben Räuberbande retten helfen?) Phil. 13, 2, 3: addite illa naufragia Caesaris amicorum Barbas, Cassios etc. (jene schiffbrüchigen Freunde Caesar's). Restat ut nonnullas proverbiales locutiones afferamus. Att. 2, 7, 4: iam pridem gubernare me taedebat; nunc vero, cum cogar

exire de **navi**, non abiectis sed ereptis **gubernaculis** cupio istorum **naufragia ex terra** (i. e. tutus) **intueri**. Praeterea Rep. 1, 17, 28: quis quemquam putet firmiore fortuna quam qui ea possideat, quae **secum**, ut aiunt, vel e **naufragio** possit ecferre. Intellegitur tranquillitas sapientis. Denique Att. 4, 19, 2: perspice cum Caesare suavissimam coniunctionem — haec enim me una ex hoc **naufragio tabula** delectat, i. e. hoc unum solatium superest. V. frgm. or. p. 948 Or. — Itaque **naufragus** is dicitur, qui bona amisit Sull. 14, 41: aliquis patrimonii **naufragus**. Cat. 2, 11, 24: contra illam **naufragiorum** eiectam ac debilitatam manum. Cat. 1, 12, 30: si eodem ceteros undique conlectos **naufragos** adgregarit.

Iactura proprie dicitur in mercibus, quae periculo naufragii impendente in mare proiciuntur. Translate est damnum, quod ultro accipitur, sive ad maius damnum depellendum, sive ad fructum percipiendum. Fin. 2, 24, 79: **iacturae** rei familiaris erunt **faciundae**, labores suscipiendi. Mil. 27, 72: Sp. Maelius, qui annona levanda **iacturisque** rei familiaris. Att. 16, 2, 1: cum tanta sit a nobis **iactura facta** iuris. Paulo ante dixerat: cum videas, quantum de iure nostro decesserimus. Div. 2, 15, 34: concedam hoc ipsum, si vis, etsi magnam **iacturam** causae fecero, si concessero. Acc. 1, 12, 33: patiatur eius vita reliqua me hanc tantam **iacturam** criminum **facere**, i. e. crimina in accusatione omittere. Planc. 2, 6: Plancii dignitatis iactura facienda est (ich muss die Würde des Plancius über Bord werfen, Preis geben). Ib. 22, 54: hos **iacturam** suarum tribuum, quo vos adiuvaremini, **fecisse**: eosdem restrictos et tenaces fuisse? V. Köpke ad h. l. Flacc. 15, 36: cuius laudationis **iactura** exoptanda nobis fuit. Servius in Fam. 4, 5, 4: in unius mulierculae animula si **iactura facta** est. — Iactura, fere in plurali numero, omisso genitivo obiecti, rei familiaris, pecuniarum significat sumptus, ut Cael. 16, 38: nulli sumptus, nulla **iactura**, nulla versura. Flacc. 5, 13: quae **iactura**! qui sumptus! quanta largitio! Att. 6, 1, 2: illo imperante exhaustam esse sumptibus et **iacturis** provinciam. Imp. Pomp. 23, 67: quibus **iacturis** proficiscantur in provincias. Att. 13, 13, 1: tu illam **iacturam** feres aequo animo, quod illa, quae habes de Academicis, frustra descripta sunt. Cluent. 8, 23: ipsum, non magna **iactura facta**, tollendum interficiendumque curavit. Att. 12, 29, 2: si qua etiam **iactura facienda** sit in repraesentando. Att. 4, 17, 2: hic Appius erat idem: nihil sane **iacturae**. Q. fr. 3, 8, 1: plura ponuntur in spe quam in pecuniis, reliqua ad **iacturam** struentur. —

Nauseare (Seekrankheit haben) omnino significat ad vomitum inclinare, (ut **nausea** Att. 14, 10, 2: **nausea** iamne plane abiit) Phil. 34, 84: modo ne **nauseet**, faciat, quod in porticu Minucia fecit. Fam. 12, 25, 4: quem ego ructantem et **nauseantem** conieci in Caesaris Octaviani plagas. Transl. N. D. 1, 30, 84: quam bellum erat confiteri potius nescire, quod nescires, quam ista effutientem **nauseare** atque ipsum sibi displicere? V. Doederl. syn. 4, 185. — Ducit ordo disputationis nos eo, ut de iis vocabulis disseratur, quae a navi ipsa, eius partibus, denique a prospera navigatione sunt ducta.

4. Navis, navigium, gubernaculum, clavus, puppis, (prora), sentina, (faex), velum, velificari, altum.

Navis. Saepius respublica a veterum scriptoribus cum navi comparatur. Cf. allegoriam venustissimam Hor. Carm. 1, 14. Etiam apud Ciceronem multa exempla extant. Vid. supra Sest. 20, 46 et Planc. 39, 94 s. v. tempestas. Cf. Dom. 10, 24, qui locus illius Sestiani simillimus est. Vide praeterea Fam. 12, 25, 5. s. v. ventus et Att. 2, 7, 4. s. v. naufragium. Fam. 2, 5, 1: tibi, etsi ubicumque es, in eadem es **navi**, tamen, quod abes, gratulor. Att. 7, 3, 5: mihi *σκάφος* unum erit, quod a Pompeio **gubernabitur.** V. Pis. 9, 20, s. v. turbo. Ad homines refertur Rab. perd. 9, 25, qui locus iam supra s. v. scopulus allatus est.

Navigium item ad remp. refertur. Att. 15. 11, 3: prorsus dissolutum offendi **navigium**, vel potius dissipatum; nihil consilio, nihil ratione, nihil ordine. V. Balb. 7, 61 s. v. tempestas.

Accedat **gubernaculum**, quod, fere in plurali numero, ad reip. administrationem traducitur. Div. 2, 1, 3: sex (libri) de republica, quos tum scripsimus, cum **gubernacula** reip. **tenebamus.** De Or. 1, 49, 214: civitatum regendarum oratori **gubernacula** sententia sua tradidit (Crassus). Ib. 1, 11, 46: multi erant clari in philosophia, a quibus omnibus repelli oratorem a **gubernaculis** civitatum videbam. Inv. 1, 3, 4: **ad gubernacula accedere.** V. s. v. naufragium. Rep. 1, 6, 11: quod qui **tranquillo mari gubernare** se negent posse, quo nec didicerint, iidem **ad gubernacula** se **accessuros** profiteantur **excitatis** maximis **fluctibus** Cf. Rep. 1, 34. Rosc. Am. 18, 51: ad **gubernacula** reip. **sedere.** Mur. 35, 74: tu **gubernacula** reip. petas. Phil. 2, 44, 113: habet populus R., ad quos **gubernacula** reip. **deferat.** Cf. Sest. 9, 20: **gubernacula** reip. **tractare**; ib. 46, 99 s. v. fluctus; Att. 7, 13, 2 s. v. tempestas; Sest. 20, 46, Dom. 10, 24 s. v. navis. Fam. 16, 27, 1: a **gubernaculis** recedere. Att. 2, 7, 4: non abiectis sed ereptis **gubernaculis.** V. s. v. naufragium.

Clavus Sest. 9, 20: **clavum** tanti imperii **tenere.** V. s. v. fluctus. Fam. 9, 15, 2: sedebamus in **puppi** et **clavum tenebamus**; nunc autem vix est in **sentina** locus.

Puppis v. Fam. 12, 25, 5 s. v. ventus et exemplum modo allatum. Div. 1, 50, 112: e monte Taygeto extrema montis **quasi puppis** avolsa est. Denique huc pertinet proverbialis locutio Fam. 16, 24, 1: mihi **prora** et **puppis**, ut Graecorum proverbium est, fuit a me tui dimittendi, ut rationes meas explicares (mein erster und letzter Beweggrund, als ich dich von mir liess, war, dass du u. s. w.).

Sentina est proprie aqua et sordes, quae in imam, interiorem navis partem confluunt. Translate v. Fam. 9, 15, 3 s. v. **clavus**: nunc autem vix est in **sentina** locus i. e. nunc Caesare rerum potito infima conditione sumus. Deinde de faece populi, de turba forensi. Cat. 2, 4, 7: o fortunatam remp., si quidem hanc **sentinam** urbis eiecerit. Ib. 1, 5, 12: sin tu exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et perniciosa **sentina** reip. Agr. 2, 26, 70: urbanam plebem nimium in rep. posse; **exhauriendam** esse; hoc enim est usus, quasi de aliqua **sentina** ac non de

optimorum civium genere loqueretur. Att. 1, 19, 4: qua constituta emptione et **sentinam** urbis **exhauriri** et Italiae solitudinem frequentari posse.

Similiter **faex**, quod vocabulum huic loco inserere liceat, vilioribus et abiectis hominibus tribuitur, velut Flacc. 8, 18: opifices et tabernarios atque illam omnem **faecem** civitatum. Pis. 4, 9: conlegia quaedam nova ex omni **faece** urbis ac servitio concitata. Att. 1, 16, 11: sordem urbis et **faecem**. Q. fr. 2, 4, 5: perditissimam illam atque infimam **faecem** populi. Fam. 7, 32, 2: quoniam tanta **faex** est in urbe. Acc. 1, 139, 99: illarum rationum ex ea **faece** legationis quaestoriaeque tuae procurationis illa sunt nomina. Att. 2, 1, 8: Cato optimo animo utens et summa fide nocet interdum reip.: dicit enim tamquam in Platonis πολιτείᾳ, non tamquam in Romuli **faece** (i. e. in perditis civibus Romanis). Denique proverbialis locutio Brut. 69, 244: Tum Atticus, tu quidem de **faece**, inquit, **hauris** i. e. vilissimos oratores commemoras. —

Sed transeamus ad vocabula navigationis prosperae. Ac primo loco commemorandae sunt locutiones **vela pandere, facere**, quae translate significant latius et copiosius, quam dialectici solent, disputare, ut apparet ex Tusc. 4, 4, 9: utrum igitur mavis? statimne nos **vela facere** an quasi e **portu** egredientis paululum **remigare**, quem locum Ernesti in Clav. Cic. v. remigare sic explicat: Utrum mavis statim copiose et late disputari, an ante adhuc aliquamdiu subtiliter rem persequi, quemadmodum qui portum egrediuntur non statim vela dant, sed lentius progrediuntur; id autem fit remigando. Cf. ib. 4, 5, 9: quaerebam igitur, utrum **panderem vela** orationis statim, an eam ante paullulum dialecticorum **remis propellerem**. Ib. 4, 14, 33: habes ea quae de perturbationibus enucleate disputant Stoici: ex quibus quoniam tamquam ex scrupulosis **cotibus enavigavit** oratio, reliquae disputationis **cursum teneamus**. A. nunc vela, quae modo dicebas, exspectamus et **cursum**. Ib. 1, 49, 118: **portum** potius paratum nobis et perfugium putemus. Quo utinam **velis passis** (i. e. quam celerrime) pervehi liceat! Sin **reflantibus ventis** reiciemur, tamen . . . . Or. 23, 75: magnum opus et arduum, sed ingredientibus considerandum fuit, quid ageremus, nunc quidem iam, quocumque **feremus, danda** nimirum **vela** sunt. H. l. **vela dare** de oratione dicitur, quae difficultatibus contemtis progreditur. Alio sensu adhibetur **vela dare** de Or. 2, 44, 187: si (iudices) se dant et sua sponte, quo impellimus, inclinant atque propendent, accipio, quod datur et ad id, unde aliquis **flatus** ostenditur, **vela do**. Vid. supra v. flatus et Ernest. clav. Cic. v. velum. Att. 1, 16. 2: **contraxi vela** perspiciens inopiam iudicum, neque dixi quidquam pro testimonio. Denique in medium proferenda est formula **velis remis**, quae in proverbium abiit et in summa contentione dicitur. Tusc. 3, 11, 25: tetra res est, misera, omni contentione, **velis**, ut ita dicam, **remisque** fugienda. V. Kuehnerum ad h. l. — Huc referendum est **velificari**, quod proprie est vela facere ita, ut ventum excipere possint. Hinc transl. Agr. 1, 9, 27: se posse turbulenta ratione honori **velificari** suo, i. e. omni contentione ita agere, ut summos honores consequatur. Hinc est gratificari, favere alicui Cael. ap. Fam. 8, 10, 2: diligenter et caute perscribas, ne aut **velificatus** alicui dicaris.

Altum sc. mare trsl. in locutione: **in altum provehi** Tusc. 4, 18, 42: ipsa sibi imbecillitas indulget, in **altum**que provehitur imprudens nec reperit locum consistendi. V. de Or. 3, 36, 145 v. aestus.

5. Gubernare, gubernator, gubernatio, portus, cursus.

Gubernare ad remp. refertur. Rep. 1, 29, 45: in **gubernanda** rep. moderantem **cursum**. Ib. 3, 35, 47: sapientia est, quae **gubernet** remp. Ib. 1, 34, 52: virtute **gubernante** remp. Off. 1, 22, 77: nobis remp. **gubernantibus**. Ib. 2, 21, 74: qui remp. **gubernabunt**. Ib. 2, 22, 77: in principibus et remp. **gubernantibus**. Ib. 3, 14, 31: uter potius remp. **gubernaret**. V. Phil. 2, 36, 92 v. naufragia. Sest. 45, 97: in **gubernanda** rep. V. Fam. 1, 9, 21. Rab. perd. 2, 5: deorum ope et auxilio multo magis haec resp. quam ratione hominum et consilio **gubernatur**. V. Prov. cons. 4, 7 v. naufragium. Har. resp. 19, 41: qui tum remp. **gubernabant**. Rosc. A. 45, 131: cum L. Sulla solus remp. gereret orbemque terrarum **gubernaret**. V. Att. 2, 7, 4 v. navis. V. Phil. 7, 2, 7; ib. 1, 14, 35; Mur. 39, 83. Att. 4, 18, 2: quam bella nobis **gubernantibus** civitas fuerit. Cf. allegoriam: Att. 2, 9, 3: male vehi malo alio **gubernante**, quam tam ingratis vectoribus bene **gubernare** i. e. malo remp. aliis etiam si male administratur permittere, quam ipse remp. gubernare, cum cives tam ingrati sint. — De aliis rebus Off. 1, 32, 115: regna, imperia, nobilitas, honores, divitiae, opes temporibus **gubernantur**. N. D. 1, 20, 52: in mundo deus inest aliquis, qui regat, qui **gubernet**. Att. 6, 3, 3: sed haec deus **gubernabit**. Har. resp. 9, 19: deorum numine omnia regi, **gubernari**. Tim. 13: ut vitam quam pulcherrime regerent et **gubernarent**. Att. 15, 9, 1: sed haec casus **gubernabit**. Fam. 2, 7, 1: te hortor, ut omnia **gubernes** et moderere prudentia tua. Sull. 28, 78: illa tormenta (in quaestionibus) **gubernat** dolor, moderatur natura cum animi tum corporis, regit quaesitor. Fin. 2, 13, 43: quo vita **gubernari** possit. Fam. 2, 17, 1: iter meum reip. ratio **gubernabit**. Att. 14, 11, 2: sed haec fortuna viderit, quoniam ratio non **gubernat**. Ib. 8, 4, 1: fortunae motum ratione quadam **gubernabimus**. Ib. 6, 1, 2: domus nulla tanto consilio aut tanta disciplina **gubernatur** aut tam modesta est, quam nostra tota provincia. Phil. 5, 10, 26: bellum opinione plerumque et fama **gubernatur**. Clu. 53, 146: haec quaestio sola ita **gubernatur**. Acc. 5, 13, 34: iura omnia praetoris urbani metu atque arbitrio meretriculae **gubernari**. Phil. 10, 9, 19: veteranorum nutu mentes huius ordinis **gubernantur**. Att. 10, 8, 6: si ii remp. gerent, quorum nemo duo menses potuit patrimonium suum **gubernare**! Att. 16, 2, 2: omnia nostra, quoad eris Romae, ita gerito, regito **gubernato**. Ib. 13, 25, 2: velim totum hoc ita **gubernes**. V. Ib. 2, 7, 4 et 7, 3, 5 v. navis. V. Planc. 5, 13 v. tempestas. — **Gubernator**. Rab. perd. 9, 26: custodes **gubernatores**que reip. Sest. 45, 98: quid est propositum his reip. **gubernatoribus**, quod intueri et quo **cursum** suum dirigere debeant. Q. fr. 1, 1, 5: tibi data est summa pax, summa tranquillitas, ita tamen, ut ea dormientem **gubernatorem** vel obruere, vigilantem etiam delectare possit. — **Gubernatrix** De Or. 1, 9, 38: ista praeclara **gubernatrice** civitatum eloquentia. — **Gubernatio** Rep. 1, 2, 2: usus virtutis est maximus civitatis **gubernatio**. De Or. 3, 32, 131: summi imperii **gubernatione**

districtus. Cat. 3, 8, 18: tantarum rerum **gubernatio**. Dom. 51, 130: **gubernatio** senatus. Inv. 2, 54, 164: continentia est, per quam cupiditas consilii **gubernatione** regitur. Vatin. 15, 36: summi consilii **gubernationem** auferre. Fam. 10, 1, 2: quae si ad tuum tempus perducitur, facilis **gubernatio** est.

Portus metaphorice est in rebus adversis perfugium et quies. De philosophiae studio Cf. comparationem Inv. 1, 3, 4: ut homines ingeniosissimi quasi ex aliqua turbida tempestate in **portum**, sic ex seditiosa ac tumultuosa vita se in studium aliquod traderent quietum. V. Tusc. 5, 2, 5 et Fam. 9, 6, 4 v. tempestas. Brut. 2, 8: quo tempore aetas nostra perfuncta rebus amplissimis, tamquam in **portum** confugere deberet, non inertiae neque desidiae, sed otii. Att. 4, 6, 2: quid? si cessare libeat et in otii **portum** confugere? Fam. 7, 30, 2: nisi me in philosophiae **portum** contulissem. V. Sest. 46, 99 v. fluctus. De morte cf. simile Cat. m. 19, 71: ut, quo propius ad mortem accedam, quasi terram videre videar aliquandoque in **portum** ex longa navigatione esse venturus. Tusc. 5, 40, 117: quid est tandem, di boni, cur laboremus? **portus** enim praesto est, quoniam mors ibidem est aeternum nihil sentiendi receptaculum. Cf. ib. 1, 44, 107: **portum** esse corporis et requiescere in sepulchro putat (Ennius) mortuum. V. ib. 1, 49, 118 v. velum. De senectute de Or. 1, 60, 255: ut tamquam **portum** aliquem exspectem istam, quam tu times, solitudinem (senectutis), subsidium enim bellissimum existimo esse senectuti otium. Ib. 3, 2, 7: o fallacem hominum spem fragilemque fortunam et inanes nostras contentiones! quae in medio **spatio** saepe franguntur et corruunt aut ante in ipso **cursu obruuntur**, quam **portum** conspicere potuerunt. Sed duae imagines h. l. coniunctae sunt, cum **spatium** a ludis circensibus, cursus et portus a navigatione ducta sint. Ut turbulentae contiones cum fluctibus et tempestatibus, comitia cum undis, comparantur, sic contra senatus, concilium illud bonorum, portus vocatur. Off. 2, 8, 26: regum, populorum, nationum **portus** erat et refugium senatus. Mil. 33, 90: (curiam), caput urbis, aram sociorum, **portum** omnium gentium. V. Prov. cons. 16, 39 v. fluctus, ubi portus, i. e. senatus fluctibus contionum opponitur. — De tribunatu Sest. 8, 18: in tribunatus **portum** perfugerat. De exilio Caec. 34, 100: exilium non supplicium est, sed perfugium **portusque** supplicii. De aliis rebns Phil. 12, 2, 7: optimus est **portus** paenitenti mutatio consilii. V. Rosc. A. 29, 79 et Tull. 14, 33 v. scopulus Sull. 14, 41 v. ventus. Acc. 5, 58, 153: quibus fuit **portus** apud eum, quem contra arma tulerunt. Clu. 3, 7: hunc locum eius fortunae miserae multumque **iactatae portum** ac perfugium futurum. Fam. 5, 15, 3: litterae ipsae illae excludere me a **portu** et perfugio videntur. Att. 3, 19, 1: ad salutem lubentissime ex tuo **portu** proficiscar. Fam. 13, 66, 2: quoniam tutissimum sibi **portum** provinciam istam duxit esse.

Agmen cogat vocabulum **cursus**, quod cum cursus proprie et de recta navigantium via et de certamine in circo vel in stadio currentium ponatur, duplici ratione transfertur. Ac primum translationes a navigatione ductas enumerabimus. Quo in genere formula **cursum tenere** commemoranda est, quae in navigantibus, qui rectam viam persequuntur, dicitur. Metaphorice Rep. 1, 2, 3: quoniam maxime rapimur ad opes augendas generis humani, **teneamus** eum **cursum**, qui semper fuit optimi

Subst.

cuiusque i. e. in hoc agendo perseveramus. Ib. 1, 6, 10: consul esse qui potui, nisi eum vitae **cursum tenuissem** a pueritia, per quem equestri loco natus pervenirem ad honorem amplissimum. De Or. 1, 1, 1: perbeati fuisse illi videri solent, qui in optima rep. eum vitae **cursum tenere** potuerunt. Or. 1, 4: quodsi quem illa praestantis ingenii vis forte deficiet, **teneat** tamen eum **cursum**, quem poterit. V. exempla iam supra allata Rep. 1, 29, 45 v. gubernare et Tusc. 4, 14, 33, v. velum. Planc. 21, 52: ut te ad istum **cursum tenendum**, quem a prima aetate suscepisti, cohortentur. Phil. 8, 4, 11: quem **cursum** industria mea **tenere** potuisset sine forensibus causis. V. Sest 46, 99 v. fluctus. Vatin. 7, 16: reliqui sex collegae fuerunt, e quibus partim plane tecum sentiebant, partim medium quendem **cursum tenebant**. — Accedant formulae **de cursu demovere** Sest. 47, 101 v. aura et **cursum** aliqua **derigere** ib. 45, 98 v. gubernator. Cf. Balb. 27, 61. V. tempestas. Prov. Cons. 16, 38: ex illa **iactatione cursuque** populari (nach jenem unruhigen Treiben und Rennen nach der Volksgunst. Tischer). V. s. fluctus. V. Sest. 9, 20 v. fluctus et Cael. 21, 51 v. scopulus. — Transfertur ad vitam et aetatem. Sest. 21, 47: nesciebam vitae brevem esse **cursum**, gloriae sempiternum. Phil. 2, 19, 47: sed reliquum vitae **cursum** videte. Off. 1, 4, 11: facile totius vitae **cursum** videt. Ib. 1, 32, 117: (homo) ante implicatur aliquo certo genere **cursuque** vivendi, quam potuit, quod optimum esset, iudicare. Cat. 4, 8, 17: qui non **cursum** hunc otiosum vitae suae salvum esse velint. Fam. 1, 9, 17: hic meae vitae **cursus** offendit eos fortasse. Ib. 6, 4, 4: adiuvat aetas et acta iam vita, quae **cursu** suo bene **confecto** delectat. Tusc. 3, 1, 2: **cursum** vitae **conficere**. Dom. 32, 86: **cursum** vitae **conficere** sine dolore. Cael. 17, 39: ut omnem vitae suae **cursum** in labore corporis atque in animi contentione **conficeret**. Brut. 94, 324: ut, qui non satis diu vixerit Hortensius, tamen hunc **cursum confecerit**. Post red. ad Q. 1, 2: aequabilis perpetuaque fortuna **secundo** vitae sine ulla offensione **cursu**. Fam. 13, 29, 5: te, mi Plance, pro studiis et omni **cursu** nostro totius vitae simillimo rogo. Mil. 35, 95: quemcumque **cursum** fortuna dederit. Phil. 5, 17, 48: virtutis esse quam aetatis **cursum** celeriorem. — Universem de eventu, exitu rerum. Fam. 4, 2, 3: perspicis, qui **cursus** rerum, qui exitus futurus sit. Ib. 6, 5, 2: ea natura rerum est et is temporum **cursus**. Div. 1, 56, 127: quibus **cursus** rerum observando notatus est. Lael. 22, 85: repente in medio **cursu** amicitias exorta aliqua offensione disrumpimus. Cf. Seyffert. ad h. l. p. 493. Rep. 1, 41, 64: studeo **cursus** istos mutationum in nostra rep. noscere. Ib. 2, 16, 30: progredientem remp. atque in optimum statum naturali quodam itinere et **cursu** venientem. Cf. Lael. 17, 63. Cat. 2, 7, 14: si Catilina ex hoc **cursu** sceleris et belli iter ad fugam converterit. Fam. 8, 11, 2: de suarum actionum **cursu** tua causa **deflexit**. Ib. 10, 15, 2: in **cursu** bonorum consiliorum Lepidum adiuvandum putavi. Top. 1, 1: maiores nostros res scribere ingressos e **cursu** ipso revocavit voluntas tua. Brut. 67, 236: magnam laudem est adeptus et ex eo tempore quasi revocatus in **cursum** tenuit locum tam diu quam ferre potuit laborem. — Ceterum **cursus** ad rem oratoriam transfertur et celeritatem, volubilitatem, flumen verborum denotat. V. Ernest. lex technol. p. 100. De Or. 3, 33, 136: eloquentiam, quam in clamore et in verborum **cursu** positam putant. Saepius tamen **cursus** orationis cum laude ea oratio dicitur,

quae expedita est et facile currit (v. Brut. 63, 227). Sic Brut. 95, 325: in his erat admirabilis orationis **cursus**. Or. 63, 212: **cursum** contentiones magis requirunt, expositiones rerum tarditatem. De Or. 1, 35, 161: tantus cursus verborum fuit et sic **evolavit** oratio, ut eius vim et incitationem adspexerim, **vestigia ingressumque** vix viderim. Or. 59, 201: interdum **cursus** est in oratione incitatior, interdum moderata ingressio. Part. or. 15, 52: in **cursu** ipso orationis declinationes ad amplificandum dantur. Ib. 8, 27: amplificatio reliquo in **cursu** orationis adhibenda est. Ib. 4, 14: in reliqua oratione paullulum digrediens de **cursu** dicendi. De Or. 2, 19, 82: cum sum in **cursu** orationis. Ib. 2, 10, 39: minime impediendus est interpellatione iste **cursus** orationis tuae. Sest. 69, 144: me plura etiam dicere parantem horum aspectus in ipso **cursu** orationis repressit. Brut. 66, 233: omnia magna voce dicens, verborum sane bonorum **cursu** quodam **incitato**. Orat. 28, 97: quae (eloquentia) **cursu** magno sonituque ferretur. Or. 58, 198: nec vero is **cursus** est numerorum, orationis dico, nihil ut fiat extra modum. Ib. 66, 222: sin membratim volumus dicere, insistimus, idque cum opus est, ab isto **cursu** invidioso facile nos disiungimus. — Denique de voce de Or. 3, 61, 227: haec varietas et hic per omnes sonos vocis **cursus** (das Auf- und Absteigen durch alle Töne). De dominatu Rep. 1, 28, 44: dominatus unius proclivi **cursu** et facile delabitur. — Iam translationes vocabuli cursus a circo desumtas pertractabimus, quas reliqua vocabula translata eiusdem generis subsequentur, ne ea, quae ex eodem genere ducta sunt, divellantur.

Caput IV.

Translationes a circo petitae.

1. Cursus, curriculum, spatium, calx, carceres, linea, flexus, deflectere, decurrere, decursus, campus, cancelli.

Romanos in deliciis ludos circenses habuisse iisque vehementer delectatos esse [1]), cum ex aliis rebus, tum ex eo apparet, quod ex hoc genere satis magnam copiam duxere metaphorarum. Atque ut ceteras voc. **cursus** significationes a circo sumtas persequamur, cursus de iis usurpatur, qui studio, cupiditate aliquid consequendi incensi sunt, imprimis de iis, qui ad remp. accedunt (cf. nostrum: Carriere). Att. 5, 15, 1: non habeat satis magnam **campum** ille tibi non ignotus **cursus** animi et industriae meae. Brut. 97, 332: **cursum** ingenii tui premit haec importuna clades civitatis. Brut. 1, 3: cum numquam sit aut illius a me **cursus** impeditus, aut ab illo meus. V. Or. 3, 2, 7 v. portus. Lael. 4, 14: cui censemus **cursum** ad deos faciliorem fuisse quam Scipioni. Tusc. 1, 31, 75: cum illuc ex his vinculis emissi feremur, minus tardabitur **cursus** animorum. Ib. paulo ante

1) V. Friedlaender, Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms 1864 II p. 154 sq.

30, 72: duas esse vias duplicisque **cursus** animorum e corpore éxcedentium. Cat. m. 17, 60: quantum spatium aetatis maiores nostri ad senectutis initium esse voluerunt, tantus illi **cursus** honorum fuit. Fam. 3, 11, 2: tuorum honorum **cursus** cui suspectus umquam fuit. Planc. 7, 17: Plancium non obrepsisse ad honorem, sed eo venisse **cursu**, qui semper patuerit hominibus ortis hoc nostro equestri loco. Phil. 14, 6, 17: magnus est in rep. **campus**, multis apertus **cursus** ad laudem. Planc. 27, 67: eadem via munita Laterensi est, idem virtuti **cursus** ad gloriam. Cf. Fin. 1, 11, 37: virtutum **cursu** ad voluptatem: Fam. 10, 3, 3: unus est reip. bene gerendae **cursus** ad gloriam. Tusc. 4, 1, 1: tum incredibilis **cursus** ad omnem excellentiam factus est dominatu regio rep. liberata. Att. 1, 1, 4: vides, in quo **cursu** simus (sc. ad summos honores). De Or. 1, 32, 147: exercitatio quadam suscipienda vobis est; quamquam vos quidem iam estis in **cursu**; sed iis qui ingrediuntur ad studium etc. Brut. 96, 328: nos in eodem **cursu** fuimus a Sulla dictatore ad eosdem fere consules. Ib. 90, 307: ut nostrum **cursum** perspicere possis et videre, quemadmodum simus in **spatio** Q. Hortensium ipsius vestigiis persecuti. Ib. 33, 127: C. Galba cecidit in **cursu** cf. Ellendt ad h. l. Ib. 81, 282: Cyrus et Alexander suum **cursum** transcurrerant (hatten gleichsam im Sprunge ihre Laufbahn durcheilt). V. Ellendt ad h. l. Tusc. 3, 2, 4: optuma petentes non tam voluntate, quam **cursus** errore falluntur. Ordinem cogat locus hic elegantissimus Q. Fr. 2, 13, 2: quoniam in isto homine colendo tam indormivi diu, te saepe excitante, **cursu** corrigam tarditatem cum **equis** tum vero — quoniam tu scribis poëma ab eo nostrum probari — **quadrigis poëticis.** —

Curriculum est proprie active cursus, passive spatium ipsum, in quo ludis circensibus aurigae vehebantur. Metaphorice Cat. m. 11, 38: hae sunt exercitationes ingenii, haec **curricula** mentis; in his desudans atque elaborans corporis vires non magno opere desidero. Lael. 12, 40: (consuetudo) **deflexit** iam aliquantulum de **spatio curriculoque** maiorum (aus der Bahn und dem Geleise). Vide, quae Seyffert ad h. l. de discrimine, quod inter curriculum et spatium intercedit, disputavit. Brut. 6, 22: ecquidnam **curriculum** aliquando sit habitum tua et natura admirabilis et exquisita doctrina et singularis industria. Ib. 97, 331, tuum forum, tuum erat illud **curriculum**, tu illuc veneras unus, qui ipsam eloquentiam locupletavisses. Paulo ante Cicero eadem imagine usus est: sed in te intuens, Brute, doleo, cuius in adolescentiam per medias laudes **quasi quadrigis vehentem** transversa incurrit misera fortuna reip. V. quae O. Jahn ad h. l. adnotavit. Or. 3, 12: me oratorem non ex rhetorum officinis sed ex Academicae spatiis exstitisse: illa enim sunt **curricula** multiplicium variorumque sermonum, in quibus Platonis primum sunt impressa vestigia. Cf. simile hoc Brut. 47, 173: nec in quadrigis eum secundum numeraverim aut tertium, qui vix e carceribus exierit, cum palmam iam primus acceperit; nec in oratoribus, qui tantum absit a primo, vix ut in eodem **curriculo** esse videatur. Rab. perd. 2, 6: quoniam me ex comparato et constituto **spatio** defensionis in semihorae **curriculum** coëgisti. Phil. 7, 3, 7: omne **curriculum** industriae nostrae in foro, in curia elaboratum est. Mur. 22, 46: cum de **curriculo** petitionis (consulatus) **deflexisses**, animumque ad accusandum transtulisses. Cf. ib. 27, 57: qui nescio pacto mihi videtur praetorius

candidatus in consularem **quasi desultorius** (sc. equus) **in quadrigarum curriculum** incurrere. V. Tischer. ad h. l. — Imprimis de spatio vitae. Tim. 12: qui recte atque honeste **curriculum** vivendi a natura datum confecerit. Rab. perd. 10, 30: exiguum nobis vitae **curriculum** natura circumscripsit, immensum gloriae. Cf. simile exemplum supra allatum Sest. 21, 47 v. cursus. Similiter Arch. 11, 28: gloria detracta, quid est quod in hoc tam exiguo vitae **curriculo** tantis nos in laboribus exerceamus? Acc. 2, 73, 179: si ne minimum quidem de meo **curriculo** vitae, quod mihi semper propositum fuit, decessero. Marc. 1, 2: versari me in nostro vetere **curriculo**. —

Saepius **spatium** cum curriculo coniunctum reperitur ut Lael. 12, 40, Rab. perd. 2, 6. Cum **cursu** coniunctum est Brut. 90, 307, de Or. 3, 2, 7: quae contentiones in medio **spatio** saepe franguntur et corruunt etc. Arch. 11, 29: quibus regionibus vitae **spatium** circumscriptum est. Cf. Cat. m. 23, 83 infra v. calx. —

Ut **carceres** locus in circo est, unde cursus initium est, sic **calx** locus in circo, calce olim notatus, post creta, ubi cursu exacto victor consistebat et praemium accipiebat. Unde hae formulae sunt ductae: Tusc. 1, 8, 15: nunc video **calcem**, (intell. mortem), ad quam cum sit **decursum**, nihil sit praeterea extimescendum. Lael. 27, 101: optandum est, ut cum aequalibus possis, quibuscum tamquam e **carceribus** emissus sis, cum isdem ad **calcem**, ut dicitur, pervenire. Cat. m. 23, 83: nec vero velim quasi **decurso spatio** ad **carceres** a **calce** revocari (das Leben von Neuem beginnen). Fragm. ap. Senec. ep. 108: quoniam sumus ab ipsa **calce** eius (sc. disputationis) interpellatione revocati.

Huc pertinet quoque **linea**, quod vocabulum translate usurpatur Parad. 3, 1, 20: si quidem est peccare tamquam transire **lineas**. Nam linea alba vocabatur sulcus transversus, calce sive creta impletus, ante carceres et extremo stadio ductus. Cf. Hor. epist. 1, 16, 79: mors ultima **linea** rerum est. Eadem ratione a Graecis *γραμμή* adhibetur, ut Eur. Elect. 960: *πρὶν ἂν πέλας Γραμμῆς ἵκηται, καὶ τέλος κάμψῃ βίου.* Vide plura exempla, quae ad Horatianum modo laudatum locum Schmidius congessit.

Eodem spectat **flexus**, quod vocabulum proprie in curribus, qui in circo circum metas flectunt, ponitur. Transfertur ad vitae aetates. Sic elegantissime Cael. 31, 75: in hoc **flexu** quasi aetatis (auf diesem Wendepunkte jugendlichen Alters) fama adolescentis paulum haesit ad **metas** notitia nova mulieris et infelici vicinitate et insolentia voluptatum. De virili aetate de Or. 1, 1, 1: si infinitus forensium rerum labor et ambitionis occupatio **decursu** honorum etiam aetatis **flexu** constitisset (mit dem Höhe- und Wendepunkte des Lebens). Cf. Ellendt. ad h. l. Pertinet ad remp. Rep. 2, 25, 45: videre itinera **flexusque** rerum publicarum.

Deflectere translate in formula, **de curriculo deflectere**. Mur. 22, 46 v. s. v. curriculum. Praeterea Off. 2, 3, 9: in quo (verbo) lapsa consuetudo **deflexit de via** sensimque eo deducta est, ut etc. Acc. 5, 68, 176: si qui tantulum **de recta regione deflexerit**. V. Lael. 12, 40 v. curriculum. Fam. 8, 11, 2: quod de suarum actionum **cursu** tua causa **deflexit**. Rosc. Com. 16, 46: qui semel a veritate **deflexit**. Har. resp. 19, 41: nihil ut a patris avique Africani praestabili insignique virtute **deflexisset**. De oratione Tusc. 4, 28, 80: sed adhibeat oratio modum et redeat illuc, unde **deflexit**.

Transitive Or. 40, 137: ut declinet a proposito **deflectatque** sententiam (intell. alio). Caec. 18, 51: ad verba rem **deflectere**.

Decurrere est cursum in circo conficere. Transfertur ad aetatem Quinct. 31, 99: prope acta iam aetate **decursaque**. V. Cat. m. 23, 83 v. calx. Porro significat pertractare, absolvere breviter, velut de Or. 1, 32, 148: ista, quae abs te breviter de arte **decursa** sunt. Decurrere ad aliquid est idem quod confugere, ut Caec. 23, 65: ad istam rationem **decurrunt**. Quinct. 15, 48: ad haec iura tam cupide **decurrebas**. — (Fam. 8, 13, 1, recte nunc **decussa** pro **decursa** legitur.) — **Decursus** Fam. 3, 2, 2: facilior erit mihi quasi **decursus** mei temporis (meine Laufbahn). **Decursu** honorum (i. e. omnibus honoribus perfunctus) de or. 1, 1, 1 v. flexus.

Eodem referendum videtur vocab. **campus**. Nam campus saepissime simpliciter campus Martius vocatur, quo loco ludicra certamina, cursus, equitationes, alia fiebant. Per translationem ad quamcumque rem, quae locum, facultatem agendi, dicendi, disputandi (cf. nostrum: Spielraum) praebet, refertur. Acad. pr. 1, 35: cum sit **campus**, in quo **exsultare** possit oratio. De Or. 3, 31, 124: in hoc tanto tam immensoque **campo**, cum liceat oratori vagari libere. Ib. 3, 19, 70: ex ingenti quodam oratorem immensoque **campo** in exiguum sane **gyrum** compellitis. Caec. 29, 84: sin hunc locum fugis et me ex hoc, ut ita dicam, **campo** aequitatis ad istas verborum **angustias** et ad omnis litterarum **angulos** revocas. Mur. 8, 18: nullum vobis sors **campum** dedit, in quo **excurrere** virtus cognoscique posset. Off. 1, 18, 61: hinc rhetorum **campus** (i. e. locus communis) de Marathone, Salamine, Plataeis, Thermopylis. Top. 10, 45: sed latior est **campus** illorum (exemplorum fictorum). V. Att. 5, 15, 1 et Phil. 14, 6, 17 v. cursus. —

Denique liceat huic generi vocabulum **cancelli** subiungere. Nam cancelli proprie sunt septa, qualia erant non solum in foro sed etiam in gradibus ac sedilibus circi. Metaphorice de limitibus orationis, scientiae, potestatis. Quinct. 10, 36: extra hos **cancellos** egredi conabor, quos mihi ipse circumdedi. De Or. 1, 12, 52: certarum rerum forensibus **cancellis** circumscriptam scientiam. Acc. 3, 39, 135: satisne vobis praetori improbo circumdati **cancelli** videntur in sua provincia. —

Caput V.

Translationes a luce et a tenebris petitae.

I. Lux, lumen.

Iam ad translationes, quae a **luce** et **tenebris** et iis, quae cum illis coniuncta sunt, derivantur, transeamus. In quo genere multa et elegantissima metaphorarum exempla exstant. Ac primum de nominibus erit videndum. Familiam ducat **lux**, quod vocabulum ita a **lumine** differt, ut umen proprie sit id, quod lucem, splendorem diffundit, lux sit splendor, quem corpora fulgentia,

ut sidera, spargunt. Vid. Doederl. 2, 66. Primum translate refertur ad vitam, velut Mil. 3, 7: negant intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. Rosc. Am. 22, 63: ut propter quos hanc suavissimam lucem aspexerit, eos indignissime luce privavit. Cf. Brut. 3, 12: me istis litteris ex diuturna perturbatione totius valetudinis tamquam ad aspiciendam lucem esse revocatum. Har. resp. 27, 57: suscipimus in lucem et hoc coelesti spiritu augemur. Cat. 1, 6, 15: potestne tibi haec lux, Catilina aut huius caeli spiritus esse iucundus. Quinct. 23, 74: ut per se afflictum propinquum non modo bonis, sed etiam communi luce privaret. Hinc pro vita ipsa ponitur. Tusc. 2, 4, 10: fore aliquando finem huius lucis. Ib. 3, 1, 2: simul atque editi in lucem et suscepti sumus. Leg. 1, 5, 16: nati et in lucem editi sumus. Ib. 1, 6, 12: omnes denique miseros, qui hac luce careant. Fin. 5, 11, 32: cum decreverit esse moriendum, tamen discessu a suis atque ipsa relinquenda luce moveatur. Clu. 11, 31: fratris liberos prius vita privavit, quam illi hanc a natura lucem accipere potuerunt. Acc. 5, 29, 75: ipsis piratis lucis usuram tam diuturnam dedisti? Sull. 32, 90: lucisne hanc usuram eripere vis? — Itaque habet locum in blandis appellationibus. Fam. 14, 2, 2: hem, mea lux, meum desiderium. Cf. Verg. Aen. 4, 31: o luce magis dilecta sorori. — Deinde lux in publico civium convictu, in locis celebritate insignibus, omnino in vita publica, in qua qui versantur in omnium oculis sunt, dicitur. Viam huius translationis munit Att. 3, 7, 1: odi celebritatem, fugio homines, lucem aspicere vix possum. Har. resp. 23, 49: lucem non aspicere, carere publico. Sull. 26, 74: pudore hominum aspectum lucemque vitare. Tusc. 3, 12, 26: tu te, Thyesta, damnabis orbabisque luce propter vim sceleris alieni. Paulo ante poeta eum exclamantem facit: nolite, hospites, ad me adire etc. Huc pertinet etiam Att. 3, 19, 1: non quo mea interesset loci natura, qui lucem omnino fugerem. Cf. Off. 2, 13, 44: in hunc oculi omnium coniciuntur et, tamquam in clarissima luce versetur, ita nullum obscurum potest nec dictum eius esse, nec factum. Cat. m. 4, 12: nec vero ille in luce modo atque in oculis civium magnus, sed intus domique praestantior. Tusc. 2, 26, 64: omnia bene facta in luce conlocari volunt. Similiter Att. 2, 1, 2: videtur (liber) posse aliquid, nostris rebus lucis adferre (in vortheilhaftes Licht setzen). Brut. 8, 32: Isocrates magnus orator, quamquam forensi luce caruit intraque parietes aluit gloriam. Att. 5, 15, 1: lucem, forum, urbem, domum, vos desidero. Fam. 2, 12, 2: urbem, urbem cole et in ista luce vive. Or. 10, 34: cum in Italiae luce (i. e. Gallia cisalpina) cognosceris versarisque in optimorum civium vel flore vel robore. Agr. 2, 27, 71: nisi forte mavoltis relictis his rebus atque hac luce reip. in Sipontina siccitate collocari. Imp. Pomp. 3, 8: in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiae luce (Vordergrund v. A.) versari. Opponitur: Cappadociae latebris se occultare. V. Halm. ad h. l. et Seyffert ad Lael. p. 189. Q. fr. 1, 1, 2, 9: virtutem non latere in tenebris neque esse abditam, sed in luce Asiae, in oculis clarissumae provinciae atque in auribus omnium gentium esse positam. Phil. 5, 13, 35: (virtus) in memoria gratorum civium tamquam in luce posita. Cael. 20, 47: ut ea non modo solitudinem ac tenebras non quaerat, sed in turpissimis rebus frequentissima celebritate et clarissima luce laetetur. Planc. 17, 42: in tenebris quam in luce causam versari

maluisti i. e. ignotis iudicibus quam notis uti maluisti. Deiot. 11, 30: vestram **familiam abiectam** et obscuram e **tenebris** in **lucem** evocavit. — Frequens est locutio: **in lucem proferre**, vel passive **in lucem prodire**, ut Acad. pr. 2, 19, 52: cum res occultissimas aperueris in **lucemque** protuleris. De Or. 1, 34, 157: illa commentatio inclusa in veritatis **lucem** proferenda est. Ib. 1, 35, 162: ut illam copiam ornamentorum suorum, quam constructam uno in loco quasi per transennam praetereuntes strictim adspeximus, in **lucem** proferat. Arch. 6, 12: si qui se ita literis abdiderunt, ut nihil possint ex iis neque ad communem adferre fructum neque in aspectum **lucemque** proferre. Parad. pr. 4: temptare volui, possentne (admirabilia) proferri in **lucem** et ita dici ut probarentur. Brut. 10, 39: videsne, in ea ipsa urbe, in qua et nata et alta sit eloquentia, quam ea sero prodierit in **lucem**. — Tum, ut res adversae cum nocte et tenebris comparantur, ita lux est auxilium, salus, fortuna, ut apparet ex Red. in sen. 3, 5: cum ex superioris anni **caligine** et **tenebris** **lucem** in rep. dispicere coepistis. Acc. 5, 61, 160: qui ex illo metu mortis ac **tenebris** quasi **luce** libertatis et odore aliquo legum recreatus revixisset. Rab. Perd. 4, 13: quae verba iam pridem in hac rep. non solum **tenebris** vetustatis, verum etiam **luce** libertatis oppressa sunt. Sed h. l. verbum opprimendi magis ad tenebras quam ad lucem pertinet. De Or. 1, 40, 184: praesidium clientibus atque opem amicis et prope cunctis civibus **lucem** ingenii et consilii sui porrigentem atque tendentem. Lig. 3, 6: quanta **lux** liberalitatis et sapientiae tuae mihi apud te dicenti oboriatur. Agr. 2, 1, 1: laude populari atque honoris vestri **luce** caruerunt. — Frequentius est **lucem afferre**. Phil. 13, 19, 44: cuius divina virtus **lucem adfert** reip. Imp. Pomp. 12, 33: tantamne unius hominis divina virtus tam brevi tempore **lucem adferre** reip. potuit? Ib. 14, 41: imperii vestri **splendor** illis gentibus **lucem adferre** coepit. Phil. 1, 2, 4: **lux** quaedam videbatur **oblata** . . regni timore sublato. Ib. 4, 1, 1: (tempora) simulac primum aliquid **lucis ostendere** visa sunt. — Lux et spes coniunctae: Ib. 10, 6, 12: ut, quocumque venisset, **lux** venisse quaedam et spes salutis videretur. Lux et salus copulantur. Dom. 28, 75: **lucem** salutemque redditam sibi. Cf. Pis. 24, 57: est animi **lucem splendoremque** fugientis iustam gloriam repudiare. — Post translate est perspicuitas, evidentia, N. D. 1, 3, 6: philosophia, quae **lucem** eriperet et quasi **noctem** quandam rebus offunderet. De Or. 2, 9, 36: historia testis temporum, **lux** veritatis. Acad. pr. 2, 10, 31: nihil est veritatis **luce** dulcius. N. D. 1, 5, 11: sententiae **lucem** auctoris desiderant. Acad. pr. 2, 10, 30: quid eum facturum putem de abditis rebus et **obscuris**, qui **lucem** eripere conetur. Ib. 32, 105: non **lucem** eripimus, sed ea, quae vos percipi comprehendique, eadem nos, si modo probabilia sint, videri dicimus. Brut. 41, 153: hic attulit hanc artem quasi **lucem** ad ea, quae confuse ab aliis respondebantur. — Denique est splendor, decus, ornamentum. Ita Cat. 4, 6, 11: hanc urbem, **lucem** orbis terrarum. Vid. Halm. ad h. l. et Seyffert. Lael. p. 189. Alio sensu Sull. 11, 33: haec urbs **lumen** gentium et Imp. Pomp. 5, 11: Corinthum patres vestri totius Graeciae **lumen exstinctum** esse voluerunt, i. e. quae urbs toti Graeciae splendorem affert. — Semel **lux** et **lumen** coniunctim ponuntur. Acad. pr. 2, 8, 26: si ista vera sunt, ratio omnis tollitur, quasi quaedam

lux lumenque vitae, i. e. ratio non solum per se ipsa splendida et clara est, sed etiam splendorem diffundit. V. Doederl. l. l. —

Lumen cum id sit, quod lucem diffundit, metaphorice est ornamentum, decus, gloria, denique omnia quae, cum quacumque re excellant, aliis rebus splendorem addunt. De Roma et Corintho urbibus v. exempla supra allata. De corpore: N. D. 1, 28, 79: est corporis macula naevus. Alcaeo tamen hoc **lumen** videbatur. — Saepissime de clarissimis viris Phil. 11, 10, 24: Brutum, **lumen** et decus civitatis. Ib. 6, 14: **lumen** et decus illius exercitus paene praeterii. Ib. 2, 22, 54: Cn. Pompeium, quod imperii populi R. decus ac **lumen** fuit. Phil. 5, 14, 39: Pompeio, quod imperio p. R. **lumen** fuit, **exstincto**. Mil. 14, 37: Hortensium, **lumen** et ornamentum reip. Deiot. 5, 15: omnium gentium atque omnis memoriae clarissimum **lumen** (Caesarem) **exstinguere**. Cat. m. 11, 35: quodni ita fuisset, alterum illud exstitisset **lumen** civitatis (Publii Africani filius, qui tenui valetudine erat). Off. 3, 6, 66: hic, qui illud **lumen** progenuit. Q. fr. 2, 8, 3: illorum praediorum scito mihi vicinum Marium **lumen** esse. Mil. 12, 33: movet me quippe **lumen** curiae (Sex. Clodius intellegitur, quem corpus P. Clodii in curia cremavisse eoque incenso curiam conflagrasse dicit Asconius ad h. l.). Prov. cons. 9, 22: haec **lumina** atque ornamenta reip. P. Servilium et M. Lucullum. Sull. 2, 5: in quibus subselliis haec ornamenta ac **lumina** reip. viderem. Cat. 3, 10, 24: clarissimis viris interfectis **lumina** civitatis **exstincta** sunt. Phil. 2, 21, 51: nondum tot **luminibus exstinctis**. Ib. 11, 6, 13: illa castrorum M. Antoni **lumina**, duos collegas. Ib. 2, 15, 37: illos praestantissimos viros **lumina** reip. vivere. Vatin. 11, 26: civitatis **lumina**. Mil. 8, 21: delegit ex florentissimis ordinibus ipsa **lumina**. — De virtute et de honestate Fin. 5, 21, 58: Virtutis beataeque vitae serius **lumen** apparet. Lael. 27, 100: virtus cum se extulit et ostendit suum **lumen**. Ib. 8, 27: quod in eo quasi **lumen** aliquod probitatis et virtutis perspicere videamur. Fam. 12, 5, 3: opto, ut ab istis orientis partibus virtutis tuae **lumen eluceat**. Off. 1, 29, 103: in ipso ioco aliquod probi ingenii **lumen eluceat**. Fin. 3, 3, 10: honestum ipsum quasi virtutis **lumen exstinxeris** et virtutem penitus everteris. Tusc. 2, 24, 58: honestatis si quasi **lumen** aliquod aspeximus. Fam. 4, 3, 2: omnes cives sic existimant, quasi **lumen** aliquod **exstinctis** ceteris **elucere** sanctitatem et prudentiam tuam. — De ingenio et mente, de litteris. Brut. 15, 59: ut hominis ingenium, sic ingenii ipsius **lumen** est eloquentia. Cat. m. 12, 41: voluptas omne animi **lumen exstinguit**. Tusc. 3, 5, 10: animi adfectionem **lumine** mentis carentem nominaverunt amentiam. Rep. 6, 12, 12: hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae **lumen** animi, ingenii, consiliique tui. Brut. 17, 66: Origines (Catonis) quem florem aut quod **lumen** eloquentiae non habent. In plur. numero Q. Fr. 2, 9, 3: Lucilii poëmata multis **luminibus** ingenii, multae etiam artis. Tusc. 1, 3, 5: philosophia nullum habuit **lumen** litterarum Latinarum. Acad. post. 1, 3, 9: tu plurimum poëtis nostris, omninoque Latinis et litteris **luminis** et verbis attulisti. — De consulatu p. red. in sen. 4, 8: hoc **lumen** consulatus sui fore putavit, si me reip. reddidisset. —

Saepissime **lumina** figurae illae dicuntur, quibus oratio ornatur et illustratur. V. Ern. lex. techn. p. 249 sq. De Or. 3, 52, 201: est quasi **luminibus** distinguenda et frequentanda omnis

oratio sententiarum atque verborum. Cf. Brut. 79, 275: erant et verborum et sententiarum **illa lumina**, quae vocant Graeci σχήματα, quibus tamquam insignibus in ornatu distinguebatur omnis oratio. Cf. Or. 54, 181 et de Or. 3, 25, 96. **Illuminare luminibus** Or. 25, 83; **illustrare luminibus** de Or. 2, 27, 119: certis **luminibus** ornare. de Or. 3, 53, 205: clarissimis verborum **luminibus** uti. Or. 20, 67. Or. 38, 134: **lumina** magnum afferunt ornatum orationis. Ib. 135: orationis **lumina** et quodammodo insignia. Or. 25, 85: **lumina** assumere, quae non erunt vehementer **illustria**. Cf. Part. or. 5, 19. Acad. pr. 2, 14, 43. Or. 38, 134. Rarius in singulari numero, ut Or. 54, 181; de Or. 3, 53, 205; Brut. 66, 2, 33: in huius oratione sermo Latinus erat, nullus **flos** tamen neque **lumen** ullum. — His duobus locis lumen est caput argumentationis Fin. 2, 22, 70: at negat Epicurus, — hoc enim vestrum **lumen** est — (das ist die Lichtseite eures Systems), quemquam, qui honeste non vivat, iucunde posse vivere. Acad. pr. 2, 33, 107: sed illa sunt **lumina** duo, quae maxime causam istam continent [1]). — Tum est perpicuitas imprimis orationis. Sull. 14, 40: vos in tantis **tenebris** erroris et inscientiae clarissimum **lumen** menti meae praetulistis. Cf. Frgm. Scaur. 23, 50. De Or. 3, 13, 50: ut oratio, quae **lumen** adhibere rebus debet, ea **obscuritatem** et **tenebras** afferat. Ib. 2, 86, 353: ordo memoriae **lumen** affert. Ib. 2, 35, 149: his rebus adhibeat tamquam **lumen** aliquod memoriam. Ib. 3, 5, 19: neque res **lumen** habere potest, si verba semoveris. Ib. 3, 40, 161: verbum unum translatum **lumen** afferre potest orationi. Cf. ib. 3, 41, 166. Or. 68, 227: nec verborum **lumen** apparet, nisi diligenter collocatorum. — Denique locutiones **luminibus obstruere** vel **officere** huc referendae sunt, quae significant obiecta re aliqua aedibus lumen adimere. Nam lex vetuit altius aedificando lumina aedificiorum obscurari. V. dom. 44, 115. Hinc hae metaphorae ducuntur: Brut. 17, 67: Catonis **luminibus obstruxit** haec posteriorum quasi exaggerata altius oratio (i. e. gloriam Catonis obscuravit). Rab. post. 16, 43: nec mentis quasi **luminibus officit** altitudo fortunae et gloriae. Opt. gen. or. 2, 5: earum omnium rerum ut aedificiorum memoria est quasi **fundamentum**, **lumen**, actio.

2. Splendor, nitor.

De differentia **splendoris** et **lucis** Senec. ep. 21 haec docet, lucem certam habere originem, splendorem nitere alieno. Utrumque vocabulum de superficie lucida ponitur. V. Doederl. Syn. 2, 70 sq., qui de discrimine splendoris et nitoris haec disputat, splendorem ad magnificentiam quandam et amplam copiam, nitorem ad suavitatem et pulchritudinem spectare. Ceterum splendorem cuiusque coloris, nitorem candidi niveique proprium esse docet. Ac primum splendor refertur ad victum cultumque. Cael. 31, 77: si quem offendit purpurae genus, si amicorum catervae, si **splendor** et

---

1) At hoc loco lectio: lumina suspecta est. Codex unus limina exhibet. Davies vincula vel munimina, Bentley columina coniecit. Si lectio vera est, dura translatio est, quod lumina continent vix dici potest.

aliter. Mur. 28, 58: totius vitae **splendor** et gravitas. Flacc. 11, 24: infimo loco natum, nullo **splendore** vitae, nulla commendatione famae. Planc. 12, 30: hunc tu vitae **splendorem** maculis aspergis istis? Brut. 48, 180: vitae **splendore** multo. Fam. 1, 9, 17: hic meae vitae cursus offendit eos fortasse, qui **splendorem** et speciem huius vitae intuentur, sollicitudinem autem et laborem perspicere non possunt. Cf. Att. 2, 24, 4. — De externis bonis Tusc. 5, 10, 30: illa, quorum **splendore** capiuntur, vires, valetudinem, pulchritudinem, divitias, honores, opes contemnere. — Splendor hominis ex gratia potentium virorum nascitur. De Or. 1, 45, 200: Q. Mucii ianua et vestibulum, quod maxima quotidie frequentia civium ac summorum hominum **splendore** celebratur. Brut. 32, 124: ut mirer, cum et vita suppeditavisset et **splendor** ei non defuisset, consulem non fuisse. Sull. 26, 73: moderationem in privatis rebus, **splendorem** in publicis. Att. 4, 1, 3: **splendorem** forensem et in senatu auctoritatem consecuti sumus. Ib. 1, 18, 1: illae ambitiosae nostrae fucosaeque amicitiae sunt in quodam **splendore** forensi, fructum domesticum non habent. Fam. 1, 7, 7: ut eos non tam constantia in rep. nostra delectet, quam **splendor** offendat. Ib. 1, 3, 1: et suo **splendore** et nostra commendatione gratiosissimus fuit. Vatin. 5, 13: ne tuas sordes cum clarissimorum **splendore** permisceas. Cluent. 16, 46: in quibus quantus **splendor** sit, quam moderata ratio vitae. Pis. 15, 36: nullis comitiis multitudinem tantam neque **splendorem** fuisse. Sen. 11, 28: **splendor** Italiae totius ordinumque omnium. Dom. 28, 75: Campum Martium tanta celebritate, tanto **splendore** omnis generis hominum, aetatum, ordinum floruisse. Fam. 12, 26, 2: eorum **splendor** et observantia. Ib. 13, 19, 1. Cluent. 69, 198: honesti homines et summo **splendore** praediti. Cael. 10, 24: summo **splendore** praeditus. Pet. cons. 2, 9; Att. 7, 13, 31. Acc. 2, 43, 107. Ib. 3, 22, 55: homo summo **splendore** et summa auctoritate praeditus. Ib. 40, 93. Sest. 28, 60: Catonis **splendorem** maculare. Flacc. 36, 89: quo **splendore** vir, qua fide! Prov. cons. 5, 11: quos non virtus, non labor, non **splendor** tueri potuit. — Itaque saepius splendor et gratia, splendor et dignitas copulantur. Fam. 11, 16, 3: summo **splendore**, summa gratia est. Ib. 13, 31, 2: ex Flavii **splendore** atque inter suos gratia. Pis. 26, 64: splendorem tuum, gratiam, celebritatem domesticam, operam forensem. Acc. 3, 80, 185: summo **splendore**, ingenio, gratia praeditum. Quinct. 22, 71: qui **splendorem** nostrum et gratiam neglegat. — Splendor et dignitas: Planc. 30, 72: si hoc **splendore** ex hac dignitate hominem defenderem. Acc. 1, 16, 49: nullum hoc **splendore** atque hac dignitate consilium fuisse. Cf. ib. 2, 1, 7, 18; ib. 45, 111. Clu. 56, 153: in ea vita qualis **splendor** inesset, quanta ornamenta, quae dignitas. Vatin. 10, 25: cuius dignitas et **splendor** praestringebat oculos. Dom. 35, 94: me illius pulcherrimi facti **splendorem** verbis dignitatemque retinere. Marc. 6, 19: tantus est **splendor** in laude vera, tanta in magnitudine animi dignitas. Sull. 1, 1: dignitatis suae **splendorem** obtinere. — Splendor cum gloria, nomine, honore, similibus coniunctus Flacc. 12, 28: in publica dignitate omnia ad gloriam **splendorem**que revocare. Off. 1, 14, 43: cupidi **splendoris** et gloriae. Fam. 10, 12, 5: omnia, quae habent speciem gloriae, conlecta inanissimis **splendoris** insignibus, contemne. Cf. Pis. 24, 57 s. v. lux. Lig. 9, 27, honos, nobilitas, **splendor**, ingenium. de Or. 1, 43, 194: honestus

labor honoribus, praemiis, **splendore** decoratur. Off. 1, 20, 67: **harum** rerum duarum **splendor** omnis, amplitudo. Q. fr. 1, 1, 14, 41: propter earum rerum, in quibus versati sumus, **splendorem** et magnitudinem (opp: si in mediocri statu sermonis res essent). Off. 3, 20, 82: ut viri boni et **splendorem** et nomen amittas. Fin. 1, 13, 42: **splendore** nominis capti. — Saepius splendor est dignitas, quae ex virtute nascitur. Fin. 4, 14, 37: aciem animorum virtutis **splendore praestringitis.** Ib. 3, 14, 45: rerum corporearum aestimatio **splendore** virtutis et magnitudine **obscuretur** et obruatur necesse est. Cf. comparationem ib. 5, 24, 71: in virtutum **splendore.** Off. 2, 10, 37: quis non admiretur **splendorem** pulchritudinemque virtutis. Ib. 1, 7, 20: iustitia, in qua virtutis est **splendor** maximus. Fin. 5, 8, 22: **obscurantis** est omnem **splendorem** honestatis, ne dicam inquinantis. Ib. 5, 22, 64: dignitatis **splendore** ductos. Acad. post. Frgm.: honestatem ipsam suo **splendore** ad se animos ducere. Quinct. 18, 59: antiquam officii rationem dilexit, cuius **splendor** omnis his moribus obsolevit. — Splendor animi: Rep. 2, 42, 69: ut sese **splendore** animi et vitae suae sicut speculum praebeat civibus. Brut. 77, 268: tantus animi **splendor** et tanta magnitudo. — De litteris Off. 2, 19, 65: huius scientiae **splendor** deletus est. Rosc. A. 49, 142: ab hoc **splendore** causae. — Ut auctoritas senatui, ita splendor ordini equestri tribuitur. Res est notissima. Planc. 13, 32: inter equites Romanos summo **splendore** fuit. Cf. ib. 14, 35; 5, 12; Rosc. A. 48, 140; Lig. 11, 33: videsne hunc **splendorem** omnium. Acc. 2, 71, 175: principes equestris ordinis, quorum **splendore** causa nititur. Fam. 12, 27,1: **splendore** equiti Romano nemini cedit. Cf. Mur. 19, 40. Rab. Post. 16, 43: nec illius animi aciem praestringit **splendor** sui nominis. Cf. Caec. 10, 28. Acc. 2, 31, 77: **splendorem** ordini atque ornamentum curiae constituere. -- De aliis ordinibus, ut de iudicibus Sest. 65, 137: senatum ipsum, proximorum ordinum **splendorem** confirmare. Phil. 3, 6, 15: **splendore** municipum honestissimum municipium. Rosc. C. 5, 15: advocationem propter eximium **splendorem** vereri. Cf. Acc. 1, 7, 22. De consulatu Red. in sen. 4, 10: nomen consulatus, splendorem illius honoris intueri non potuerunt. — De muneribus aedilitatis Off. 2, 16, 57: **splendor** aedilitatum ab optimis viris postulatur. Dom. 43, 111: cogitarat omnis superioris numeris **splendore** (aedilitatis) superare. De imperio Flacc. 28, 69: a **splendore** huius imperii, gravitate nominis nostri. Imp. Pomp. 14, 41 s. v. lux. — **Splendor vocis** pertinet ad iucundam claritatem (metallreiche, volltönende Klarheit der Stimme). V. quae Ernest. lex. techn. lat. p. 367. de hac re fusius disputavit. Brut. 68, 239: actio eius habebat in voce magnum **splendorem.** Brut. 71, 250: lectis utitur verbis et frequentibus, et **splendore** vocis et dignitate motus fit speciosum et illustre, quod dicitur. — Denique **splendor** verborum aut sono dulci et suavi (Wohlklang) aut ornamentis orationis (glänzende Diction) tribuitur. Or. 49, 164: bonitate potius nostrorum verborum utamur, quam **splendore** Graecorum. Ib. 31, 110: (Demosthenes) nihil levitate Aeschini et **splendore** verborum (cedit). Brut. 88, 303: Hortensius erat in verborum **splendore** elegans. — Ornamenta verborum intelleguntur his locis: Inv. 1, 18, 25: (exordium) **splendoris** et festivitatis et concinnitudinis minimum habere decet. De Or. 2, 8, 34: quid admirabilius quam res **splendore** illustrata verborum. Ib. 3, 31, 125: si est

honestas in rebus ipsis, de quibus dicitur, exsistit ex re naturalis quidam **splendor** in rebus. Cf. ib. 3, 36, 147. Adde ib. 3, 38, 156: illae paullo audaciores (translationes) quae non inopiam iudicant, sed orationi **splendoris** aliquid arcessunt. Brut. 59, 216: nulla re magis oratorem commendari quam verborum **splendore** et copia. —

Nitor transfertur ad corporis cultum victumque elegantiorem. Cat. m. 17, 59: intuentem purpuram eius et **nitorem** corporis ornatumque Persicum. V. Cael. 31, 77 v. splendor. — Saepius de eleganti, polita, luminibus distincta oratione. V. Ernest. lex. p. 262. Brut. 9, 36: aetas oratorum, in qua naturalis inesset, non fucatus **nitor**. Att. 13, 19, 5: quae habent **nitorem** orationis nostrum, si modo is est aliquis in nobis. — Contra dialecticorum praecepta **squalidiora** vocantur, cum elocutionis suavitate careant, ut Or. 32, 115: quod sua sponte squalidiora sunt, adhibendus erit in iis explicandis quidam orationis **nitor**. — Nitor et palaestra iunguntur. Leg. 1, 2, 6: habuit vires agrestes atque horridas sine **nitore** ac palaestra (Schule).

3. Umbra, umbracula, umbratilis.

Umbra multiplicem usum metaphoricum habet. Ac primum **soli** ita opponitur, ut umbra in re militari exercitationes, in re oratoria declamationes significentur, quae locis umbrosis, i. e. domi, intra parietes et a philosophis et a rhetoribus fieri solebant et veris contentionibus fori et iudiciorum opponuntur. Comparare licet Tusc. 2, 15, 36: Spartiatae feminae mollissimo cultu „parietum **umbris** occuluntur", quae verba e poeta aliquo sumta videntur. Hinc Mur. 14, 30: cedat, opinor, forum castris, otium militiae, stilus gladio, **umbra soli** h. e. iurisprudentia rei militari. Flacc. 2, 5: qui non in **umbra** neque in illius aetatis disciplinis artibusque versatus est; etenim puer cum patre consule ad bellum est profectus. — Quamobrem umbra cum otio iungitur, ut Balb. 6, 15: quae nos libri docent in **umbra** atque otio. Cum vituperatione umbra in plur. num. Tusc. 5, 27, 78: sed nos **umbris**, deliciis, otio, languore, desidia animum infecimus. Unde **umbracula** in plur. num. pro schola ponuntur, quia veteres philosophi in arborum umbraculis ambulantes docebant. Ita Brut. 9, 37: Phalereus processerat in **solem** et **pulverem**, non ut e militari tabernaculo, sed ut e Theophrasti doctissimi hominis **umbraculis**. Similiter Leg. 3, 6, 14: Phalereus mirabiliter doctrinam ex **umbraculis** eruditorum otioque non modo in **solem** atque in **pulverem**, sed in ipsum **discrimen aciem**que produxit, h. e. doctrina ad remp. gubernandam usus est. — Huc pertinet quoque **umbratilis**, quod vocabulum vitae umbra atque otio languescenti tribuitur. Tusc. 2, 11, 27: sic ad malam domesticam disciplinam vitamque **umbratilem** et delicatam cum accesserunt poetae, nervos omnis virtutis elidunt. Sic oratio umbratilis philosophorum orationibus in foro sub sole habitis opponitur, ut or. 19, 64: mollis est oratio philosophorum et **umbratilis**. De Or. 1, 34, 157: educenda dictio est ex hac domestica exercitatione et **umbratili** medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra atque in aciem forensem. V. Ern. lex. p. 422. Sed ad umbram redeamus. Dupliciter umbra, ad orationem translata, a Cicerone adhibetur. Nam cum in pictura **umbrae** appellentur loca lumine

carentia, ut patet ex Acad. prior, 2, 7, 20, hinc umbra ad orationis partes minus illustratas et ornatas transfertur. Ita de Or. 3, 26, 101: habeat tamen illa in dicendo admiratio ac summa laus **umbram** aliquam et recessum, quo magis id, quod erit **illuminatum**, exstare atque eminere videatur. h. e. nonnulli loci orationis ornamentis et luminibus careant. — Deinde umbra significat speciem, imaginem, ut rei solidae et verae opponatur. Off. 3, 17, 69: nos veri iuris germanaeque iustitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus, **umbra** et imaginibus utimur. Rep. 2, 30, 52: (Plato) optandam magis quam sperandam effecit (civitatem), ego autem rationibus eisdem, quas ille vidit, non in **umbra** et imagine civitatis, sed in amplissima rep. enitar, ut etc. Rab. post. 15, 41: **umbram** equitis Romani et imaginem videtis, unius amici conservatam auxilio et fide. Att. 7, 11, 1: o hominem miserum, qui ne **umbram** quidem umquam τοῦ καλοῦ viderit! Fin. 1, 18, 61: Stoici negant esse bonum quicquam nisi nescio quam illam **umbram**, quod appellant honestum non tam **solido** quam **splendido** nomine. Etiam in plur. num. Pis. 24, 57: omnis **umbras** falsae gloriae consectari. Huc proverbialis locutio: **umbram** sive **umbras** timere referenda est (Att. 15, 20, 4 et Pet. cons. 2, 9), quae sine causa in timore esse significat. Denique semel apud Ciceronem umbra est comes Mur. 6, 13, ubi saltatio **umbra** luxuriae nominatur.[1]

4. Tenebrae, tenebricosus, nox.

Luci ac lumini oppositae sunt **tenebrae**. Saepissime haec vox in reip. perturbationibus dicitur. V. supra Arch. 6, 14 et Sull. 14, 40 v. lumen; Planc. 17, 42, Q. fr. 1, 2, 9 v. lux. Acc. 3, 76, 177. Prov. cons. 18, 43. Red. in sen. 3, 5 v. caligo. Rosc. A. 32, 91: qui tamquam si offusa reip. sempiterna nox esset, ita ruebant in **tenebris** omniaque miscebant. Flacc. 40, 102: o nox illa, quae paene aeternas huic urbi **tenebras** attulisti. V. s. dom. 10, 24 v. nubes. Agr. 1, 8, 24: quum populo R. vox et auctoritas consulis repente in tantis **tenebris illuxerit**. Dom. 44, 116: illis tantis **tenebris**. Agr. 2, 26, 69: in illis reip. **tenebris**. Fam. 12, 13, 1: maximis reip. **tenebris**. Dom. 53, 137: in naufragio reip., **tenebris** offusis. Leg. 3, 9, 21: gentes sibi in **tenebris** reip. perturbandas. Fam. 9, 2, 2: quis est tam lynceus, qui in tantis **tenebris** nihil offendat, nusquam incurrat. Ib. 4, 3, 2: in tantis tenebris et quasi parietinis reip. — Deinde ad ignorationem, oblivionem, humilitatem generis refertur. Acad. pr. 2, 19, 61: isti, quos tu probas, tantis offusis **tenebris**, ne scintillam quidam ullam nobis ad dispiciendam reliquerunt. Ib. 2, 39, 122: latent ista omnia crassis occultata et circumfusa **tenebris**, ut nulla acies humani ingenii tanta sit, quae penetrare in caelum possit. Acad. post. 1, 12, 44: nihil veritati relinqui, denique omnia **tenebris** circumfusa

1) Umbra pro tutela nusquam a Tullio translate ponitur, nisi in hac comparatione Acad. pr. 2, 22, 70: (Antiochus) cessit et ut ii qui sub Novis solem non ferunt, item ille, cum **aestuaret**, veterum, ut Maeaniorum, sic Academicorum **umbram** secutus est (er flüchtete sich unter das schützende Obdach der alten Akademie.) Vid. interpretes ad h. l. et Becker Antiq. 1, 295 sq. Ceterum eius usus plura exempla apud Livium exstant, quae collegit Baur. l. l.

esse. V. s. de Or. 3, 13, 50. Acad. pr. 2, 6, 16: clarissimis rebus **tenebras** obducere. Agr. 1, 1, 3: si quid est, quod indagaris, inveneris, ex **tenebris** erueris. V. s. Rab. perd. 4, 13 v. lux. Att. 7, 11, 1: quaeso, quid hoc est? aut quid agitur. Mihi enim **tenebrae** sunt. Rep. 4, 9, 9: quas illi (poëtae) obducunt **tenebras**! quos invehunt metus! Agr. 1, 3, 7: ut in quibus commodum sit **tenebris**, ut, in qua velint solitudine. Ib. 2, 21, 55: in Paphlagoniae **tenebris** atque in Cappadociae solitudine. Fin. 3, 20, 65: homines solitudinem et **tenebras** nacti. Att. 6, 1, 21: si in **tenebris** laterem nec audiretur Romae. Sest. 4, 9: cum illa coniuratio ex latebris atque ex **tenebris** erupisset. p. Red. ad Q. 3, 8: lacrimae pueriles tectis ac **tenebris** continebantur. Sest. 28, 60: virtus **lucet** et **tenebris** et pulsa loco manet tamen. Tum de hominibus abiectis, pravis, humilibus. Sest. 9, 20: hominem emersum subito ex diuturnis **tenebris** lustrorum ac stuprorum. Deiot. 11, 30 v. lux. Vatin. 5, 13: neque te ex amplissimi viri dignitate, sed ex tuis **tenebris** extraham. Ib. 9, 23: non tribunus pl., sed intolerandus ex caeno nescio qui atque ex **tenebris** tyrannus. Red. in sen. 4, 10: consulum mentes angustae, humiles, pravae, oppletae **tenebris** ac sodibus. Hinc Piso ipse tenebrae vocatur: Pis. 26, 62: o **tenebrae**, lutum, sordes! — Denique de perturbato, tristi animo. Tusc. 3, 34, 82: si quid **tenebrarum** obfudit exsilium. Frgm. inc. p. 1058, 5 Or.: **tenebras** offudisse iudicibus Cf. frgm. p. 991, 6 Or.; V. Div. in Caec. 14, 45 v. aestus et Acc. 5, 61, 160 v. lux. —

Tenebricosus est tenebris offusus et cum vituperatione in rebus ponitur, quae propter pudorem vel, ut aliis parcatur, silentio teguntur. V. Doederl. syn. 3, p. 171. Velut Pis. 8, 18: tu ex **tenebricosa** popina consul extractus. Prov. cons. 4, 8: lateant libidines eius illae **tenebricosae**. Vatin. 5, 11: illud **tenebricosum** tempus ineuntis aetatis [tuae] patiar latere. Deinde sensus tenebricosi dicuntur. Acad. pr. 2, 23, 73: sensus non **obscuros** dicit, sed **tenebricosos**.

Ut tenebrae, sic **nox** de perturbato reip. statu usurpatur. Brut. 96, 330: etsi doleo, me in hanc **noctem** reip. incidisse. Rosc. Am. 32, 91: tamquam si offusa reip. sempiterna **nox** esset. Har. resp. 6, 11: in illa tempestate ac **nocte** reip. — Deinde de obscuritate N. D. 1, 3, 6: philosophiam, quae lucem eriperet et quasi **noctem** quandam rebus offunderet. Cf. denique Tusc. 1, 41, 97: quam multi dies reperiri possunt, qui tali **nocti** (i. e. morti) anteponantur.

5. Luceo, colluceo, eluceo, perluceo, praeluceo, illucesco.

Lucere proprie ea dicuntur, quae luce lenius emissa tenebras depellunt omniaque illustrant. V. Doederl. 2, 76. Metaphorice lucere est apparere, conspicuum esse, eminere, saepe cum notione pulchritudinis. Sest. 28, 60: virtus **lucet** in **tenebris**. Off. 1, 9, 30: aequitas **lucet** ipsa per sese. Phil. 13, 11, 24: illa ornamenta in virtute et industria posita **lucent**. Brut. 95, 327: ingenii quaedam forma **lucebat**. Att. 3, 15, 4: mea officia et studia, quae parum antea **luxerunt**. Brut. 7, 26: maxime mihi occurrunt et quasi **lucent** Athenae tuae. — De perspicuitate Part. or. 17, 60: contraria, quorum dissolutio in brevitate non **lucebit**. Mil. 23, 61: cum res ipsa tot tam claris argumentis signisque **luceat**. — **Collucere** est transl. in conspectu omnium esse, ab omnibus conspici.

N. D. 2, 39, 99: hominum operibus agri, insulae litoraque **collucent** distincta tectis et urbibus. Acc. 1, 22, 58: vidi **collucere** omnia (in foro comitioque) furtis tuis, praeda provinciarum, spoliis sociorum. — **Elucere** est lucendo apparere, conspicuum fieri. Rep. 2, 21, 37: non latuit **scintilla** ingenii, quae iam tum **elucebat** in puero. Cael. 19, 45: in eo ingenium **elucere**. Fam. 12, 5, 3: virtutis tuae **lumen elucent**. Lael. 14, 48: si qua significatio virtutis **eluceat**. Off. 1, 29, 103: probi ingenii **lumen eluceat**. Ib. 102: ex quo **elucebit** omnis constantia omnisque moderatio. Ib. 1, 28, 98: decorum, quod **elucet** in vita. Lael. 27, 101: haec (benevolentia) etiam magis elucet inter aequales. Off. 1, 5, 17: ut animi magnitudo cum in augendis opibus, tum in his ipsis despiciendis **eluceat**. Div. 1, 29, 61: ut illa tertia pars rationis et mentis **eluceat**. Font. 10, 23: quid est igitur, ubi **elucere** possit prudentia?. Fam. 10, 10, 2: in qua (rep.) honos **elucere** possit. Or. 40, 139: omnis **eluceat** oportet eloquentiae magnitudo. Fin. 4, 2, 4: ea in maximis ingeniis maxime **elucere**. Off. 2, 2, 8: quod hoc ipsum probabile **elucere** non posset. Part. or. 12, 41: ex quibus proprium quid sit **eluceat**. Or. 2, 7: quid sit illud, quod in perpetuitate dicendi non saepe, in aliqua autem parte **eluceat** aliquando. De Or. 2, 13. 55: nemo studet eloquentiae, nisi ut in causis atque in foro **eluceat**. — **Perlucere** Off. 2, 9, 32: decorum maxime quasi **perlucet** ex iis, quas commemorari, virtutibus. **Pellucens** oratio est nitida, polita, dilucida. V. Ern. l. c. p. 279. Brut. 79, 274. — **Praelucere** Lael. 7, 23: amicitia bonam spem **praelucet** in posterum h. e. praelucendo praebet. — **Illucescere** V. agr. 1, 8, 24 v. tenebrae.

6. Dilucidus, luculentus.

Dilucidus trsl. perspicuitatem imprimis orationis significat. V. Ern. lex. p. 125. De Or. 3, 10, 38: **dilucidus** sermo ita definitur, ut intellegatur, quod quisque dicat. Fin. 3, 1, 3: **dilucida** oratio. Part. or. 6, 19: **dilucidum** (in oratione) fit usitatis verbis, dispositis. Or. 5, 20: tenues, acuti, omnia **dilucidiora**, non ampliora facientes. Invent. 1, 20, 29: verbis **dilucidis** utendum est. Ib. 1, 12, 16: argumentandi ratio **dilucidior** erit. — Div. 1, 51, 117: **dilucide** explicare. Part. or. 6, 19: **dilucide** dicere. Or. 23, 79: **dilucide** planeque dicetur. De Or. 1, 21, 94: satis acute atque **dilucide** dicere. De Or. 1, 32, 144: ut plane et **dilucide** loquamur. Tim. 3: tota **dilucide** et plane exornata oratio. De Or. 1: 53, 229: dixit causam pure et **dilucide**. V. Fin. 4, 2, 15. ib. 3, 5, 19: omne, quod de re bona **dilucide** dicitur, mihi praeclare dici videtur. Inv. 1, 33, 55: **dilucide** demonstrare. Acad. pr. 2, 14, 44: **dilucide** perspicere. Cluent. 3, 8: accusationi breviter **dilucideque** respondeo. Acc. 2, 78, 191: crimina diluere **dilucide**. Vatin. 15, 37: lex **dilucide** vetat. Att. 16, 11, 5: de Myrtilio **dilucide** (bin ich nun ganz im Klaren. Wiel.). —

Luculentus refertur ad res vel ad homines, qui gravitate ita excellunt, ut oculos in se convertant. Itaque est idem quod speciosus, magnus, gravis. Ac primum de rebus, quae magnitudine ac vi excellunt usurpatur. Planc. ap. Fam. 10, 24, 3: vel **luculentissima** ex omnibus una (legio). Phil. 12, 8, 9: ex naufragio **luculenti** patrimonii. Att. 10, 12, 6: factum cum ipsum per se **luculentum** est.

Ib. 4, 16, 4: **luculenta** res. Ib. 16, 4, 4: navigia **luculenta**. — De hominibus gravitate, auctoritate praeditis. Att. 10, 12, 2: ut est **luculentus** auctor. V. ib. 10, 14, 2. Ib. 7, 17, 2: **scriptor** luculentus. Brut. 26, 102: scriptor fuit, ut temporibus illis, **luculentus**. Ib. 34, 129: C. Fimbria habitus est sane, ut ita dicam, **luculentus** [1]) accusator, asper, maledicus. Att. 2, 12, 4: **luculentus** homo est. — Denique de oratione, quae argumento excellit. Att. 12, 21, 1: verbis **luculentioribus** et pluribus rem laudem comprehenderat. — **Luculente**. Q. fr. 3, 5, 1: sane texebatur opus **luculente**. Off. 3, 14, 60: hoc quidem sane **luculente** (das ist ganz gut, das lässt sich hören.). Q. fr. 3, 2, 1: Gabinium ad populum **luculente** calefecerat Memmius. — De oratione. Div. 1, 57, 131: cum ipse dicas satis **luculente**. Off. 3, 28, 102: quamquam ab impio rege dicitur, **luculente** (treffend) tamen dicitur. Brut. 19, 76: et **luculente** quidem scripserunt, etiamsi minus, quam tu, polite. Att. 14, 21, 1: rescripsit ad litteras sane **luculente**. Semel **luculenter**. Fin. 2, 5, 15: cum Graece, ut videor, **luculenter** sciam.

7. Splendere, splendescere, splendidus.

Splendere trsl. nusquam reperitur nisi Sest. 28, 60: virtus **splendet** per sese semper neque alienis umquam sordibus obsolescit. — **Splendescere** refertur ad ornatum orationis. Parad. pr. 3: nihil tam horridum, tam incultum, quod non **splendescat** oratione et tamquam excolatur. Hoc loco duo genera translationum, a luce et ab agricultura petitarum, misceri apertum est. De voce. Cat. m. 9, 28: canorum illud in voce **splendescit** etiam nescio quo pacto in senectute. —

Splendidus praecipue refertur ad divitias liberalitatem, lautitiam. Att. 6, 1, 13: **splendidissimis** canistris. Parad. 5, 2, 38: quorum in villa ac domo nihil **splendidum**, nihil ornatum fuit praeter ipsos. Off. 2, 15, 52: (opera quae fit indigentibus) est lautior ac **splendidior** et viro forti claroque dignior (quam pecunia). Quinct. 30, 93: ornare magnifice **splendideque** convivium. Tusc. 3, 25, 61: acta aetas honeste ac **splendide**. V. Cat. m. 18, 64. — Itaque est illustris, clarus, speciatim de ordine equestri. Fin, 2, 18, 58: equite Romano **splendido**. — V. Phil. 13, 10, 23. Acc. 2, 28, 69: eques R. in primis **splendidus** atque honestus. V. ib. 107. Ib. 3, 14, 37; 4, 20, 42: ab equite R. **splendido** et gratioso. V. ib. 5, 6, 2, 161. Planc. 8, 21: municipes sunt illi quidem **splendidissimi** homines. Flacc. 20, 48: amicum atque hospitem **splendidissimum** atque ornatissimum civitatis suae. Ib. 35, 88: hominum gratiosorum **splendidorumque** libertis. Rosc. A. 7, 20: homo tum **splendidus** et gratiosus. Acc. 4, 20, 45: homini honesto, locupleti, **splendido**. Ib. 5, 29, 73; Cael. 2, 3: Q. fr. 2, 12, 3: hominem domi **splendidum**, gratiosum etiam extra domum. Pet. cons. 13, 51; Att. 5, 20, 4: locupletis et **splendidi** hominis. Har. resp. 24, 51. — De colonia: Phil. 5, 9, 24: Mutinam, firmissimam et **splendidissimam** coloniam. — De provincia: Acc. 4, 41, 90: **tam splendidae**, tam illustris provinciae; Ib. 5, 52, 137. — Omnino de rebus, quae speciem et

---

1) At Orellii editio exhibet Ernestii coniecturam: truculentus.

dignitatem summam habent. Off. 1, 8, 26: in maximis animis **splendidissimisque** ingeniis plerumque existunt honoris cupiditates. Ib. 3, 5, 25: optimo et **splendidissimo** ingenio. Ib. 1, 18, 61: **splendidissimum** videri, quod animo magno elatoque factum sit. Lael. 6, 23: secundas res **splendidiores** facio amicitia. Off. 3, 28, 101: utilitatis nomen non tam **splendidum** quam necessarium ducimus. Fin. 1, 18, 61: quod appellant honestum non tam solido quam **splendido** nomine. Ib. 2, 21, 68: certamen honestum et disputatio **splendida**. Phil. 2, 25, 63: sed haec ipse fatetur in suis sordibus: veniamus ad **splendidiora**. Att. 13, 13, 1: multo haec erunt **splendidiora**, breviora, meliora (intelleguntur libri Academici). Div. in Caec. 20, 65: utra est **splendidior**, utra **illustrior** commemoratio? Acc. 5, 67, 173: **splendida** est illa causa. Rosc. A. 49, 142; Fam. 10, 25: **splendidiorem** petitionem tuam (consulatus). Locus classicus est Pet. cons. 13, 52: petitio ut pompae plena sit, ut **inlustris**, ut **splendida**, ut popularis sit, ut habeat summam speciem et dignitatem. Invent. 2, 54, 163: magnificentia est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et **splendida** propositione cogitatio atque administratio. — Ut splendor, ita **splendidus** ad elegantiam, ornatum orationis refertur. Sic Brut. 20, 78: erat unctior quaedam **splendidiorque** consuetudo loquendi. Ib. 55, 201: (genus dicendi) **splendidius** et magnificentius. Ib. 75, 261: **splendidam** quandam minimeque veteratoriam rationem dicendi. Ib. 79, 273: **splendida** et grandis oratio. Ib. 58, 210: **splendidioribus** verbis utebatur. Ib. 27, 104: Gracchi habemus orationes nondum satis **splendidas** verbis, sed acutas prudentiaeque plenissimus. Fin. 3, 5, 19: cum de rebus grandioribus dicas, ipsae res verba rapiunt: ita fit, ut cum gravior tum etiam **splendidior** oratio. Off. 1, 1, 4: ornate **splendideque**. De Or. 2, 16, 68: locuti sunt simpliciter et **splendide** sine ulla serie disputationum et sine ieiuna concertatione verborum. V. Ernest. lex. p. 369 ad h. l. Fin. 1, 2, 6: quae **splendide** dicta sint. Ib. 4, 3, 6: ea quae requirebant orationem ornatam et gravem, quam magnifice sunt dicta ab illis, quam **splendide**! — De claritate vocis Brut. 55, 203: vox cum magna, tum suavis et **splendida** opponitur fuscae. — Denique de magnitudine sonorum Or. 49, 163: **splendidis** nominibus **illuminatus** est versus.

8. Nitere, enitere, nitidus.

Nitere est trsl. ornamento esse, excellere ut Agr. 1, 7, 21: vectigal in pace **niteat**, in bello non obsolescat. Balb. 6, 16: mors, cum **exstinxisset** invidiam, res eius gestae sempiterni nominis gloria **niterent**. — Ut nitor, de suavitate orationis. Fin. 4, 3, 5: vos squalidius, illorum vides quam **niteat** oratio. Brut. 67, 238: non valde **nitens**, non plane horrida oratio. — **Enitere** est eminere, elucere. Mur. 14, 32: quo in bello virtus **enituit** egregia M. Catonis. Invent. 1, 3, 4: videntur studia recta atque honesta **enituisse**; hoc vero (eloquentiae studium) a plerisque desertum obsolevisse. De Or. 2, 28, 125: in quibus non hoc maxime **enituit** acumen quoddam singulare. Brut. 59, 215: Crassi magis **enitebat** oratio. Flacc. 7, 17: Athenae non solum in Graecia, sed prope cunctis gentibus **enitebant**. Invent. 2, 2, 5: ille in sua praetura nobilis **eniteret**. Att. 2, 1, 3: in eis orationibus, quae Philippicae nominantur, enituerat civis ille tuus (Demosthenes). Cf. Tusc. 2, 5, 13. —

Nitidus de partibus corporis bene pastis, pinguibus. Div. 2, 13, 30: pecudis iecur **nitidum** atque plenum, aliae horridum et exile. — Itaque de exquisito ornatu cultuque corporis. Cat. 2, 10, 22: quos pexo capillo, nitidos videtis. — De agris egregie excultis. Acc. 3, 18, 47: campos collisque **nitidissimos** viridissimosque. — De orationis genere, cui palaestra et oleum tribuitur, cum sit magis auribus doctis quam populi aptum. De Or. 1, 18, 81: **nitidum** quoddam genus est verborum et laetum, sed palaestrae magis et olei, quam huius civilis turbae ac fori. Cf. de pictura Orat. 11, 36, in picturis alios horrida, inculta, abdita et opaca, contra alios **nitida** laeta, collustrata delectant. De Or. 3, 14, 51: de horridis rebus **nitida**, de ieiunis plena est oratio tua. Partit. or. 5, 17: alia verba sonantiora, grandiora, leviora, et quodammodo **nitidiora**.

9. Illustrare, illustris.

Illustrare proprie rem aliquam lucidam facere, lucem afferre alicui rei denotat et ita ab illuminando differt, ut hoc sit luminibus aliquid ornare, illud lucis splendore perfundere, in luce ponere. V. Doederl. 2, 86. Transl. est patefacere, aperire, explicare (in's Licht setzen). De Or. 1, 39, 177: ius **obscurum** et ignotum patefactum atque **illustratum** est. Lael. 26, 97: verum valet, si modo id patefactum et **illustratum** est. Cael. 28, 66: quibus (signis) veritas **inlustrari** solet. Cat. 1, 13, 32: Catilinae profectione omnia patefacta, **inlustrata**. Ib. 3, 1, 3: quae quoniam in senatu **inlustrata**, patefacta, comperta sunt per me. Ib. 3, 9, 21. Ib. 3, 1, 3: consilia **inlustrarentur**. Acad. post. 1, 1, 3: philosophiam veterem illam a Socrate ortam Latinis litteris **inlustrare**. Brut. 64, 228: genus hoc scriptionis nondum sit satis Latinis litteris **illustratum**. Tusc. 1, 1, 1: studium sapientiae mihi Latinis litteris **illustrandum** putavi. Ib. 1, 3, 5: philosophia nullum habuit **lumen** litterarum Latinarum, quae **inlustranda** et excitanda nobis est. Div. 2, 2, 4: qui (philosophiae locus) non Latinis litteris **inlustratus** pateret. De Or. 2, 66, 268: saepe verbo res **obscura** et latens **illustratur**. Rep. 2, 18, 33: **obscura** est historia Romana, sed temporum illorum tantum fere regum **inlustrata** sunt nomina. De Or. 1, 13, 55: si ista res nostra lingua **illustrata** non est. Off. 2, 14, 49: P. Sulpicii eloquentiam accusatio **inlustravit**. De Or. 1, 23, 109: haec verbis definita, generibus **illustrata**. — Deinde de elegantia, copia, ornatu, quibus oratio vel res ornantur. V. Ernest. lex. p. 201. Or. 27, 92: Demetrii orationem **illustrant** quasi **stellae** quaedam tralata verba. Cf. de Or. 3, 36, 145. Invent. 2, 15, 49: distinguitur oratio atque **inlustratur** inducendis locis communibus. De Or. 2, 8, 34: res splendore **inlustrata** verborum. Ib. 2, 13, 56: verba sententiis **inlustrantur**. Or. 68, 227: sententias et verba numerus **inlustrat**. De Or. 3, 38, 152: ad **inlustrandam** atque exornandam orationem. Ib. 3, 35, 141: Aristoteles ornavit et **illustravit** doctrinam illam omnem. Cf. ibid. 3, 38, 155; 53, 202; 1, 14, 61; 2, 28, 121; ib. 2, 33, 143: vel acute describere, vel ornate **illustrare**. Div. 2, 1, 2: qui locus totam philosophiam maxime **inlustrat**. Parad. 1, 2, 10: sed haec videri possunt odiosiora, cum lentius disputantur: vita atque factis **inlustrata** sunt summorum virorum. Brut. 73, 255: qui non **illustravit** modo, sed etiam genuit in hac urbe dicendi

copiam. — Denique est rem pulchriorem facere, ornare, ut Att. 4, 8a, 2: sittybis libros **illustrarunt**. Frgm. or. Scaur. 23, 47 (Klotz): Capitolium templis tribus **illustratum**. — Imprimis pertinet ad mores et nobilitare, laudibus efferre, ornare valet. Fam. 1, 6, 2: **illustrabit** tuam amplitudinem hominum iniuria. Ib. 2, 6, 2: nullam esse gratiam tantam, quam non animus meus in remunerando cumulare atque **inlustrare** posset. Ib. 5, 11, 3: (Delmatae) brevi capientur et **inlustrabunt** res tuas gestas. Ib. 10, 12, 5: virtus maxime **inlustratur** magnis in remp. meritis. Phil. 7, 2, 7: tum **inlustratur** consulatus, cum gubernat remp. Dom. 29, 76: laudem **inlustras** meam. Luccei. ap. Fam. 5, 14, 1: quod de ipsum laudibus **inlustret**. Balb. 7, 18: quos aut fortuna extulit, aut ipsorum **inlustravit** labor et industria. Arch. 9, 21: qui libri non modo Lucullum, verum etiam p. R. nomen **inlustrant**.

Inlustris proprie est in luce positus, conspicuus. Metaphorice aut ad perspicuitatem aut ad splendorem dignitatemque refertur. Ac primum illius significationis exempla afferamus. Acad. pr. 2, 29, 94: negas te usque ad **obscura** progredi; **inlustribus** igitur rebus insistis — etiam a certis et **inlustrioribus** cohibes adsensum. N. D. 1, 5, 12: quia visum quendam haberent insignem et **inlustrem** [1]). Acc. 5, 13, 34: quod ita fuit **inlustre** notumque omnibus. Fam. 11, 27: praeter haec, quae testata sunt et **inlustria**, habeo multa occultiora. Rep. 1, 3, 4: his rationibus tam certis tamque **inlustribus** (einleuchtenden Gründen). Fin. 4, 2, 4: virtutes, quae notae **inlustresque** sunt. Ib. 2, 5, 15: de (re) **inlustri** et facili et iam in volgus pervulgata loquitur (opp: re obscura). Brut. 32, 124: Curio multa dixit et **illustria** i. e. quae nota sunt. V. Ellendt. ad h. l. Cf. de Or. 2, 32, 137: ubi **illustria** obscuris opponuntur. Fam. 1, 9, 1: tibi multo notior atque **inlustrior** meus in te animus esset. P. red. 1, 4: beneficia **inlustriora**. Ib. 10, 9, 1: numquam **inlustrius** vidi me a te amari. — Imprimis de oratione. Part. or. 6, 20: quae dicta sunt de oratione **dilucida**, cadunt in hanc **illustrem** omnia. Est enim plus aliquanto **illustre**, quam illud **dilucidum**. Altero fit, ut intellegamus, altero, ut videre videamur. Paullo ante: **illustris** est oratio, si et verba gravitate delecta ponuntur et translata et superlata. De Or. 3, 53, 202: **illustris** explanatio rerumque, quasi gerantur, sub adspectum paene subiectio. Ib. 2, 27, 120: explicationem **illustrem** perpolitamque. Acad. pr. 2, 6, 17: orationem nullam **inlustriorem** ipsa evidentia reperiri posse. De Or. 2, 87, 358: locis est utendum multis, **illustribus**, explicatis. Ib. 3, 6, 24: esse nullam sententiam **illustrem** sine luce verborum. Ib. 2, 82, 337: genus dicendi grandius quoddam et **illustrius**. Ib. 1, 33, 151: omnes sententiae verbaque omnia, quae sunt maxime **illustria**. Ib. 3, 37, 150: ut (verba) abiecta atque obsoleta fugiat, lectis atque **illustribus** utatur. Ib. 2, 28, 122: oratorem **illustriorem**. Acc. 5, 53, 139: omnia, quae dicam, sic erunt **inlustria**, ut etc. — Deinde est clarus, nobilis, insignis. Brut. 19, 74: **illustrium** hominum aetates et tempora. Lael. 1, 4: in hominum veterum auctoritate et eorum **illustrium**. Vid. quae Seyffert. ad h. l. de discrimine, quod inter illustrem et clarum

---

1) At totus locus ab editoribus uncis seclusus est.

intercedit, docet. Inv. 1, 16, 23; Rep. 2, 31, 55: **inlustribus** in personis temporibusque. Acc. 1, 6, 17: homines **inlustres**, qui, ut ipsi noti sunt, sic nostrum unum quemque optime norunt. Ib. 3, 24, 60: equitibus Romanis non **obscuris** neque ignotis, sed honestis et **inlustribus**. Ib. 3, 40, 93: homo **inlustris ac** nobilis. Caec. 12, 28: graves homines atque **inlustres**. Ib. 18, 43: fortis atque **inlustris** viri. Pet. cons. 5, 18: homines **inlustres** honore ac nomine. Att. 12, 23, 2; ib. 16, 7, 1. Fin. 1, 11, 37: de clarorum hominum factis **inlustribus** et gloriosis. Inv. 1, 4, 5: honesta, **inlustris** vita. Rep. 3, 3, 6: vitae ratio **inlustrior**. Cat. 3, 1, 2: nobis iucundi atque **illustres** sunt ei dies, quibus conservamur. Off. 1, 22, 75: Themistoclis nomen quam Solonis **inlustrius**. Brut. 58, 213: quam est **illustre** nomen P. Scipionis. Acc. 5, 64, 64: nobile et **inlustre** nomen civitatis. Brut. 21, 82: dicendi laus est in Laelio **inlustrior**. Marc. 8, 26: gloria est **inlustris** ac pervagata magnorum meritorum. Att. 5, 17, 5: gloriam iustitiae fore **inlustriorem**. Dom. 32, 87: in vita nihil est ad laudem **inlustrius**, quam calamitas. Arch. 7, 15: naturam eximiam atque **inlustrem**. Cael. 1, 1: adolescentem **inlustri** ingenio, industria, gratia. Dom. 18, 46: **inlustri** gratia. Fam. 3, 10, 9: reditus **inlustris** gratiam. Fam. 1, 9, 21; ib. 2, 12, 2: industria **inlustris**. Acc. 3, 27, 67: populo fideli et **inlustri**. Ib. 4, 37, 81: civitatem ille amplam, **inlustrem**, clarumque reddidit. Acc. 2, 1, 3; ib. 4, 41, 90: tam splendidae, tam **inlustris** provinciae. Ib. 1, 8, 21; Balb. 21, 48: colonia Latina firma et **inlustri**. Agr. 2, 33, 89: in tam **inlustri** imperio. Cat. m. 11, 38: causarum **inlustrium**, quascumque defendi, nunc cum maxime conficio orationes. Div. Caec. 2, 6: causam tam idoneam, **inlustrem**, tam gravem. Cael. 30, 73: ex aliqua **inlustri** accusatione. Pet. cons. 13, 52: V. s. v. splendidus. Fam. 3, 8, 2: **illustris** sermones. Div. Caec. 20, 65 v. splendidus. Brut. 67, 238: his etsi in publicis causis probabatur, tamen in privatis **illustriorem** obtinebat locum. Acc. 3, 94, 219: ne avaritiae auctoritate vestra viam patefaciatis **inlustrem** atque latam. Ib. 4, 44, 97: ad maiora istius et **inlustriora** furta. Att. 4, 6, 3: iniuriam illius faciam **inlustrem**. Har. resp. 17, 36: illud in hac civitate esse maxime **inlustre** atque insigne periurium. De Or. 2, 13, 55: cum ad ceteras res **illustres**, tum ad scribendam historiam se applicaverunt. Brut. 12, 46: rerum **inlustrium** disputationes, quae nunc communes appellantur loci. Fam. 8, 6, 2; de Or. 3, 14, 55: quamquam sunt omnes virtutes aequales, sed tamen est species alia magis alia formosa et **illustris**. Fam. 1, 7, 9: vides, quanto expressiora quantoque **inlustriora** futura sint. Dom. 11, 27: quis de illius dignitate **inlustrius** dixit?

10. Illuminare, illuminate, luminosus.

Illuminare ad orationem transfertur, quae luminibus i. e. figuris et ornamentis distinguitur. De Or. 3, 43, 170: translatum, quod maxime tamquam stellis quibusdam notat et **illuminat** orationem. V. s. Or. 25, 83 v. lumen; de Or. 3, 6, 25: orationem ornari atque **illuminari**. Ib. 3, 54, 208: quae sententiis orationem verborumque conformationibus **illuminent**. Or. 39, 136: omnes aliqua specie **illuminare** sententias. Brut. 37, 151. Or. 49, 163: splendidis nominibus **illuminatus**

est versus. De Or. 3, 26, 103: haec silva rerum **illuminanda** verbis. Ib. 3, 31, 125. Cf. de Or. 3, 26, 101; Or. 54, 182; Brut. 58, 213, ib. 58, 213: **inluminatam** sapientiam.[1] —

Illuminate semel de or. 3, 14, 53 invenitur: qui distincte, qui explicate, qui abundanter, qui **inluminate** et rebus et verbis dicunt. — **Luminosa** oratio est luminibus ornata oratio, velut Or. 36, 125: **luminosae** et quasi actuosae partes duae (orationis).

11. Obscuritas, obscuratio, obscurare, obscurus.

Obscuritas iis rebus transl. tribuitur, quae ita abditae sunt, ut minus intellegantur. De Or. 3, 31, 124: neque tanta in rebus **obscuritas**, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modo adspexerit. Ib. 1, 3, 10: quanta in **obscuritate** rerum versentur. Acad. post. 1, 12, 44. Fin. 4, 12: inest in rebus ipsis **obscuritas**. Acad. post. 1, 7, 29: propter **obscuritatem** ignorationem causarum. Fin. 5, 19, 51: quae naturae obscuritate occultantur. De Or. 1, 15, 68: philosophia in tres partes est distributa, in naturae **obscuritatem**, in disserendi subtilitatem, in vitam atque mores. Div. 1, 18, 35: causa latet **obscuritate** involuta naturae. — Saepius de oratione parum dilucida. Inv. 1, 20, 29: **obscuritate** narrationis. Fin. 2, 5, 15: rerum **obscuritas**, non verborum facit, ut non intellegatur oratio. De Or. 3, 13, 50 v. tenebrae. Ib. 2, 80, 326: (brevitas) saepe obest in narrando, quod **obscuritatem** affert. De Or. 3, 42, 167: (translatio) est magnum ornamentum orationis, in quo **obscuritas** fugienda est. Div. 2, 54, 111: adhibuit etiam latebram **obscuritatis**, ut idem versus alias in aliam rem posse accommodari viderentur. Ib. 2, 64, 132: **obscuritates** et aenigmata somniorum. Top. 1, 3: a libris te **obscuritas** reiecit. Agr. 2, 14, 36: **obscuritas** legis. Sull. 28, 78: nihil erroris erit in causa nec **obscuritatis**. Fam. 6, 6, 7: minus habent vel **obscuritatis** vel erroris. Clu. 27, 73: in ea **obscuritate** ac dubitatione omnium. Marc. 10, 30: erat **obscuritas** quaedam; multi dubitabant, quid optimum esset. — Deinde ad ignobilitatem generis et famae refertur. Off. 2, 13, 45: prima aetas propter humilitatem et **obscuritatem** in hominum ignoratione versatur. Vatin. 5, 11: ut adulescentiae turpitudo **obscuritate** et sordibus obtegatur. Deiot. 4, 12: tuae res gestae ceterorum laudibus **obscuritatem** attulerunt.

Obscuratio de rebus ponitur quae minus apparent. Fin. 4, 12, 29: in quibus (voluptatibus) propter earum exiguitatem **obscuratio** consequitur. Ib. 30: quibus in rebus tanta **obscuratio** non fit. Ib. 4, 13, 32: de istis **obscurationibus**, quae propter exiguitatem vix appareant.

Obscurare trsl. primum in litteris pronuntiandis dicitur, quae non satis exprimuntur. De Or. 3, 11, 41: nolo exprimi litteras putidius, nolo **obscurari** negligentius. V. Ernest. lex. technol. lat. p. 269. — Deinde est dicendo obruere, tegere, ita, ut minus intellegatur. Cluent. 1, 1: nihil me nec subterfugere voluisse reticendo nec **obscurare** dicendo. Att. 2, 20, 3: si erunt mihi plura ad te scribenda, ἀλληγορίαις **obscurabo**. — Denique est aut officere, ut minus valeat et appareat,

1) Inclusit Ellendtius **illuminatam**. Jahnius coniecit: **atque innatam**.

vim alicuius rei minuere, aut oblivione obruere, celare. V. comparationem Fin. 3, 14, 45: ut obscuratur et offunditur luce solis lumen lucernae, sic omnis ista rerum corporearum aestimatio splendore virtutis et magnitudine **obscuretur** et obruatur atque intereat necesse est. Fin. 4, 12, 29: sin dicit (Epicurus), **obscurari** quaedam nec apparere, quia valde parva sint, nos quoque concedimus: quod dicit Epicurus de voluptate, quae minimae sint voluptates, eas **obscurari** saepe et obrui. Ib. 31: nummus in Croesi divitiis **obscuratur**, pars est tamen divitiarum. Ceterum vide totum locum. De Or. 3, 57, 215: quia animi permotio perturbata saepe ita est, ut **obscuretur** ac paene obruatur, discutienda sunt ea, quae **obscurant** et ea quae sunt eminentia et prompta sumenda. Part. or. 5, 15: firmamenta ad fidem posita aut per se diluenda aut **obscuranda** aut digressionibus obruenda. Off. 3, 11, 47: tanta vis est honesti, ut speciem utilitatis **obscuret**. Cf. Fin. 5, 8, 22. Tusc. 5, 41, 119: tantam praestantiam in bonis animi esse, ut ab his corporis et externa **obscurentur**. Acc. 3, 57, 131: quod magnitudo lucri **obscuraret** periculi magnitudinem. Fin. 5, 21, 88: actionum genera plura, ut **obscurentur** etiam minora maioribus. Lael. 17, 63: potentiam si neglecta amicitia consecuti sint, **obscuratum** iri arbitrantur. V. Seyffert. ad h. l. Acad. pr. 2, 13, 42: consuetudinem **obscurari** volunt. De Or. 2, 23, 95: omnis eorum memoria sensim **obscurata** est et evanuit. Ib. 2, 88, 360: opprimi memoriam imaginum pondere et **obscurari** etiam id, quod per se natura tenere potuisset. — Denique est oblivione obrui. Marc. 9, 30: esse te talem, ut tuas laudes **obscuratura** nulla umquam sit oblivio. Phil. 9, 5, 10: nulla eius legationem posteritatis **obscurabit** oblivio. Post red. 1, 4: beneficia vestra nunc renovata **inlustriora** videntur, quam si **obscurata** non essent. — Omnino est celare. Arch. 11, 26: non est hoc dissimulandum, quod **obscurari** non potest. —

Obscurus primum ad pronuntiationem litterarum parum distinctam refertur. V. s. obscurare. Off. 1, 37, 133: litterae neque expressae neque oppressae, ne aut **obscurum** esset aut putidum. Cf. Brut. 18, 57. — Deinde obscura sunt ea, quae parum perspicua sunt, ut difficile intellegantur. Fin. 2, 5, 15: nec de re **obscura** aut artificiosa, sed de **illustri** et facili et iam in vulgus pervagata loquitur. Tusc. 1, 25, 60: de re **obscura**. Cluent. 32, 87. De or. 2, 36, 153: videre res **obscurissimas**. Att. 1. 19, 7: res aut **obscurae** aut dubiae. Fam. 6, 6, 4: in his tam **obscuris** rebus tamque perturbatis. Off. 1, 6, 19: in res **obscuras** atque difficiles. Brut. 41, 152: rem **obscuram** explanare interpretando, ambigua videre. Div. in Caec. 4, 14: res dubia aut **obscura**. Mil. 9, 26. Inv. 2, 52, 156: quemadmodum res **obscurae** dicendo fierent apertiores, sic res apertas **obscuriores** fieri oratione. Acc. 4, 45, 100: res, quae esset iam antea non **obscura**, perspicua esse coepit. Acad. pr. 2, 10, 30. De Or. 1, 39, 177. N. D. 3, 39, 93: quam esset **obscura** (natura deorum) et quam difficilis explicatus haberet. Or. 9, 30: **obscuras** abditasque sententias. Div. 2, 56, 115: oraculis flexiloquis et **obscuris**. — De iis qui in dicendo implicati sunt. de Or. 2, 80, 329: non esse **obscurum** in re narranda. Div. 2, 64, 132: Quid? poëta nemo, nemo physicus **obscurus**? ille vero nimis etiam **obscurus** Euphorion. Valde Heraclitus **obscurus**. Brut. 76, 264: praeceps quaedam et idcirco **obscura** oratio. Acc. 1, 10, 29: quidquam dictum, quod esset **obscurum**. Rosc. A. 1, 3.

Fam. 2, 5, 1: nec **obscure** nec vario sermone, sed clarissima voce. Brut. 72, 251: tuum de illius ingenio notissimum iudicium, nec illius de tuo **obscurum**. Dom 28, 74: **obscurum** iudicium decretumque. — De scientia subtiliore. De Or. 1, 14, 59: non ex usu forensi, sed ex **obscuriore** aliqua sententia. Ib. 1, 42, 190: artem iuris civilis difficilem et **obscuram**. Genus causae **obscurum** Inv. 1, 15, 20 ita definitur: **obscurum**, in quo aut tardi auditores sunt aut difficilioribus ad cognoscendum negotiis causa est implicata. Ib. 1, 16, 21; de Or. 2, 24, 100; ib. 1, 58, 250; V. Ern. lex. p. 269; Inv. 1, 41, 77: aliis rationibus tractari argumentationes in philosophia multis et **obscuris**. De Or. 2, 20, 84: sunt de his rebus libri neque abditi neque **obscuri**. Mur. 13, 28: res minime **obscuris** litteris continetur. Ib. 17, 36: **obscura** aliqua ex causa. Planc. 15, 37. Lael. 5, 18: sapientiae nomen **obscurum**. Acc. 4, 29, 67: in crimine **obscuro** versari. Mur. 24, 49: rationem suffragiorum **obscuriorem** [1]). Caecin. 2, 6: iuris **obscuram** dubiamque rationem. Inv. 2, 22, 65: utilitatis ratione aut perspicua nobis aut **obscura**. Att. 7, 13, 5: aenigma est numero Platonis **obscurius**. Inv. 2, 48, 141: tenues et **obscurae** notae voluntatis. Acad. pr. 2, 11, 36: notum esse debebit insigne veri: quo **obscuro** et oppresso. Fam. 1, 1, 3: non **obscura** concursatio et contentio. Div. 1, 51, 116: multa **obscura**, multa ambigua. Fam. 4, 2, 2: si quid rectissimum sit, quaerimus. perspicuum est, si quid maxime expediat, **obscurum**. Ib. 1, 9, 5; 5, 19, 2; 7, 19, 1. Att. 14. 22, 1. Acc. 2, 77, 190. Clu. 57, 157. Fin. 4, 1, 1 et 2. N. D. 3, 15, 38. De Or. 1, 16, 73. Inv. 2, 40. 116: quid senserit scriptor, **obscurum** est. Mur. 17, 36: nihil **obscurius** voluntate hominum. Rosc. A. 7, 18. Cat. 1, 6, 15. Arch. 5, 11. Div. in Caec. 7, 22. Acc. 1, 11, 32: non **obscurum**, neque absconditum. Fam. 1, 9, 5. Clu. 12, 34. Agr. 2, 11, 28. Ib. 14, 36: cur hoc tam est **obscurum** atque caecum? Fam. 13, 70, 1: **obscura** tua in me benevolentia. Fam. 5, 2, 4: officium meum in te **obscurum** esse. Ib. 5, 8, 1: studium **obscurum**. Att. 4, 15, 1: *συμπάθειαν* non **obscuram** fuisse. Acc. 1, 1, 2: laus tenuis neque **obscura**. Acc. 1, 13, 35: est **obscurum** eiusmodi **factum** eius. Ib. 2, 37, 91: non erat **obscurum**, quid homo cogitaret. Div. in Caec. 7, 22. Ib. 3, 31, 73: at haec **obscura** sunt, aut **obscura** esse possunt, quae tu palam egisti. Ib. 5, 48, 126: obscura cupiditas. Cluent. 5, 14: suspitionibus **obscuris** laedi famam. Har. resp. 19, 40: error **obscurus**. Agr. 2, 25, 66: **obscura** spe et caeca exspectatione pendere. Fam. 2, 12, 2: omnis peregrinatio **obscura** et sordida est iis, quorum industria Romae potest **inlustris** esse. Brut. 26, 100: tribunatus non **obscurus** fuit. Mur. 7, 16: tuae nobilitas hominibus litteratis est notior, populo **obscurior**. — De ignobilitate generis. Fam. 4, 13, 3: **obscuri** homines. Phil. 2, 11, 26. Rosc. A. 23, 64. Mil. 7, 17, ubi claris hominibus **obscuri** opponuntur. Acc. 3, 24, 60: equitibus R. non **obscuris** neque ignotis. Fam. 5, 12, 7; ib. 3, 5, 2. Clu. 21, 57: deterrimus **obscurissimusque** patronus. Acc. 5, 65, 167: homines tenues, **obscuro** loco nati. Ib. 5, 70, 181: humili atque **obscuro** loco natus. Deiot. 11, 30 v. tenebrae. Off. 1, 32, 116: **obscuris** orti maioribus.

---

1) Halmii coniectura est. Locus est nondum sanatus.

Clu. 7, 21: index neque **obscurus** neque incertus. Pis. 23, 55: negotiatoris **obscurissimi** reditus. — Postremo ad hominem astutum refertur, cuius animum non facile perspicias. Off. 3, 13, 57: huius celandi genus cuius hominis sit, quis non videt? Certe non aperti, non simplicis, non ingenui, non iusti, non viri boni, versuti potius, **obscuri**, astuti, fallacis. Fam. 3, 10, 6: in **obscuro** odio apertas inimicitias. Har. resp. 25, 55. Acc. 1, 5: **obscurus** in agendo. —

Obscure, de oratione non satis dilucida. Fin. 2, 5, 15: Heraclitus de natura nimis **obscure** memoravit. Acad. post. 1, 2, 7: **obscure** disserendum. De Or. 1, 41, 187: video, dictum a me esse paullo **obscurius**, sed experiar et dicam, si, potero, planius. Acc. 2, 20, 48. Att. 12, 38, 2: quod Balbus satis plane, Dolabella **obscure**, hic apertissime scripsit. Har. resp. 9, 18: non **obscure** nobis praedixerint. Fam. 3, 11, 1. Att. 2, 7, 4: quod facis **obscure**. Ib. 2, 19, 5: si **obscure** scribam, tu tamen intelleges. Ib. 14, 2, 3. Acad. fr. **obscure** cernimus. Cat. 1, 4, 8: dico te priore nocte venisse — non agam **obscure** — in M. Laecae domum. — Deinde est tecte, clam, occulte, sensim. Quinct. 15, 50: tacite **obscureque** conceditur. Parad. 6, 1: istam paupertatem, vel potius egestatem ac mendicitatem tuam numquam **obscure** tulisti i. e. non dissimulans. Att. 9, 7, 3. Quinct. 19, 54: id non **obscure** ferebat, nec dissimulare ullo modo poterat. Inv. 1, 17, 24: ut neque aperte laedas eos, qui diliguntur, et tamen id **obscure** faciens. Ib. 1, 15, 20: insinuatio est oratio quadam dissimulatione et circuitione **obscure** subiens auditoris animum. Cat. 4, 3, 6: **obscure** serpens malum. Pis. 2, 5: interitum urbis non **obscure**, sed palam molientem. Agr. 2, 4, 10: si aliud **obscure** moliuntur. Flacc. 2, 5: quibus in provinciis non **obscure** versatus est. Sest. 4, 9: non **obscure** in illa coniuratione versatum. Agr. 2, 4, 9: non **obscure** gerebantur. Ib. 2, 28, 75: num **obscure** maiores opes quaeruntur? num **obscure** regnum constituitur? num **obscure** libertas tollitur. Acc. 4, 24, 53: avertere aliquid de publico quam **obscurissime**. Acc. 2, 53, 132: in ea re nihil **obscure** facere. Tull. 8, 19: vagabantur armati, non **obscure**. Agr. 1, 2, 6. Att. 1, 19, 6: non **obscure** invidere. Fam. 1, 56, 2: ceteri sunt partim **obscurius** iniqui, partim non dissimulanter irati. Inv. 1, 47, 88: **obscurius** positum vitium. Dom, 14, 37. Mil. 16, 42: non modo quae reprehendi palam, sed etiam **obscure** quae cogitari possunt.

10,4 | 8,7